AZ.
I

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
G
53
NAPOLI

IO. IACOBI HOTTINGERI

ELOQVENTIÆ IN ACADEMIA TURICENSI PROFESSORIS PVBLICI,

DE

NONNVLLORVM IN OPPVGNANDA RELIGIONE INEPTIIS

AC MALIS ARTIBVS, MAXIME IN FRANCOGALLI CVJVSDAM PESSIMO LIBRO,

QVI SYSTEMATIS NATVRÆ NOMINE FERTVR,

CONSPICVIS,

LIBRI DVO.

B. R. NEAPOLIS

LVGDVNI BATAVORVM,
APVD SAM. ET JOH. LVCHTMANS,
Academiæ Typographos.
M D C C L X X I V.

Digitized by Google

IO. RODOLPHO HVLDRICO

SACRORVM APVD TVRICENSES ANTISTITI

S. P. D.

IO. IACOBUS HOTTINGERI.

Conſcripſeram libellum, quo impiorum in oppugnanda religione tum fraudes tum ineptias, in uno illius inſigni hoſte, conatus ſum declarare. Quem ut nonnullis, ex amicorum TVORVM numero, doctiſſimis viris non diſplicere ſenſi; conſtitui illum in vulgus edere; ſimul ut TVO nomini inſcriptum vellem plures me juſtiſſimæque cauſæ impulerunt. Namque munus etſi perexiguum, multoque deferenti mihi quam TIBI accipienti magis honorificum, tamen non ingratum TIBI futurum arbitrabar, quod & animi mei tacitum ſenſum, juſtiſſimumque cultum, quo TE

 pro-

proſequor, tum autem Tibi placendi niſi facultatem, at certe ſtudium ac voluntatem ſummam ſignificaret. Accedit divinarum Tuarum virtutum cogitatio, quæ pietatis iſtam ſignificationem, a me poſtulare & quodammodo flagitare videbatur. Cui enim librum ad tuendam religionem conſcriptum, ſanctum potius vellem, quam ei, quo Dei immortalis ſacra religio, in noſtra republica, nullum nec habuit umquam, nec habebit, vel graviorem vindicem, vel patronum diſertiorem? Nam quotiescunque recordor, Tuæ illius prope divinæ eloquentiæ, qua Te ſæpius audivi pro religione facientem verba; omniumque ordinum atque ætatum vitia incredibili animi conſtantia ac gravitate coarguentem: toties mihi perſuadeo, non ſine numine factum, ut Tibi potiſſimum religionis apud nos, ſumma traderetur. Eſt aliquid, ingruentis undique impietatis vim & labentis indies magis magisque religionis ruinam ita ſuſtinere, ut quidquid mali aliunde immigraverit, haud latius ſerpat, verum naſcens ipſum opprimatur. In quo quidem aliquantum fortaſſe valent noſtrorum hominum mores, priſtinarumque virtutum ſuperſtites reliquiæ: at longe plurima vigilantiæ Tuæ atque prudentiæ debentur, qua religionis cauſam ita tueris, ut, qui illam non amant, Te tamen amare atque admirari vel inviti cogantur. Magna hæc eſſe fateor: verum majus etiam illud, quod Te videmus perfeciſſe; ut cum hominum omnium vitia ita exagitaveris, ut nullius umquam

quam vel dignitati vel magnitudini peperceris, tamen omnes Te, non ut humana auctoritate inſtitutum hominem, ſed velut Dei interpretem divina mandata exſequentem audiant, nec dici poſſit; utrum major in Te omnium ſit amor, an veneratio. Igitur quod poſt Breitingervm, immortali laude digniſſimum virum, ad Te usque in eo munere contigit nemini, ut idem non multitudinis ſolum, verum & patrum auctor monitorque haberetur; id Tv conſecutus es ita, ut nihil vel ad Tvam laudem præſtantius, vel ad civium ſalutem utilius poſſit cogitari. Quemadmodum igitur ille, tot annorum intervallo vivit adhuc bonorum laudibus ac prædicatione; ſic Tvam memoriam poſteri quam diutiſſimam colent, Teqve parem illi conſtantia fuiſſe, ſed prudentia ſuperiorem judicabunt. Neque profecto mirum; quod nemo a religione tam ſit alienus, quin Te libenter de illa diſſerentem audiat, nec tam perditus, ut inde niſi melior factus, diſcedat. Non enim Tva illa ſola, etſi permagna laus eſt: neque Tv ſolum bene dicere, ſed, quod caput eſt, pauloque etiam magis quam orationis blandæ incantamenta animum audientis permovent, Tv igitur & bene facere ipſe, neque alios modo, quid virtus, quid religio, quid bonæ frugi hominis officium poſtulet, pulcro & apto ſermone explicare, ſed Tvte ipſo exemplo cæteris præire, multoque magis vita omni quam oratione docere ſolitus es. Itaque non ulla fere vel virtus vel

laus eſt, quæ abs Te aliis commendari queat, cujus non in Te ipso imaginem expreſſam intueamur. Tuam dico vitæ innocentiam ac ſanctitatem, non moroſam illam & inepta religione horridam, ſed multo rerum uſu & humanitate temperatam, veri virtutisque amorem maximum, civium caritatem, animi magnitudinem, conſtantiam, tum eximiam morum manſuetudinem mira urbanitate conditam, ingenium denique literarum omni doctrina excultum, & quæ ſingula Te omnibus venerabilem redderent, juncta vero cumulataque nec laudare in Te ſatis umquam poſſumus neque admirari. Quæ omnia non ita a me dicuntur, quaſi me Tuas virtutes laudibus adſecuturum ſperarem. Quidquid enim dixero, iis, qui Te noverunt, aliquanto infra verum Te laudaſſe videbor. Sed nimis jucundum videtur, communis gaudii quamvis debilem & infacundum interpretem, meorum civium ſenſum & tacitam cogitationem declarare. Video tot hominum millia, ordinum atque ætatum omnium, pro Tua ſalute manus ad cœlum quotidie attollentium, audio bonorum preces, video lacrimas, atque ego in tanta omnium ſeſe efferente lætitia ſolus obmuteſcam? At profecto, etiamſi verendum mihi ſit, quæ Tua eſt moderatio ac propemodum verecundia, ne in hac parte Tibi diſpliceam, tamen hoc a me nequeam impetrare: Atque Deum immortalem teſtor, cujus ſacris ego ſub Tuis auſpiciis ſum initiatus, me, qui nullius Principis gratiam,

ficta laude quæſitam non abhorrerem, ipſum mihi ingratiſſimum, atque omnino indignum videri, qui tantorum bonorum fructum aliquem ego ipſe perciperem, niſi ea cogitans, animo ac mente penitus commoverer. O beatum illum diem, qui conſpirante omnium conſenſu ac voluntate ſummam ſacrorum curam Tibi commiſit! O felices cives meos, quibus ſaluti, publicæ conjunctiſſimæ, religionis patrocinium, tam præclare eſt conſtitutum! At enim o me feliciſſimum, qui non tantum ei ſum ordini adſcriptus, cujus Tu caput es, ſed cui Tu etiam favoris ac benevolentiæ ſigna plurima eademque clariſſima dediſti. Non igitur ſum neſcius, quod anno ſuperiori, eloquentiam in Academia noſtra docendi, mihi delatum munus ſit, quanta in illo Tua pars fuerit. Quæ quidem res non tam per ſe mihi grata erat, quam quod Tuæ erga me benevolentiæ, ac nonnullorum præterea, virtute Tui ſimilium virorum, voluntatis in me propenſæ certum fuit indicium. Nam quod Tuo, quod Breitingeri fruor favore, quodque ab Steinbrychelio Tuo me amari video, illud ejusmodi eſt, quo neſcio an majus aliquid aut gratius, vel fingere poſſem vel optare. Quo majorem operam mihi dandam cenſeo, ne ſine ullo meo merito a tantis viris ſuſtentatus ornatusque videar. Inde quæcunque in litteris hactenus aut profeci, aut certe conatus ſum, inde libellus iſte manavit, quem Tibi jam offero, cujus operam impenſam,

ſi TIBI non diſplicuerit, optime mihi conſtare arbitrabor. Illud unum peto abs TE, ne hoc qualecunque munuſculum, aut ex ſuo pretio, aut ex TVA magnitudine, ſed ex mea voluntate TIBIQVE gratificandi ſtudio judices. Vale. Scripſi HAGÆ COMITVM IV. IDVS MARTII. MDCCLXXIV.

IO,

IO. IACOBI HOTTINGERI

DE

NONNVLLORVM IN OPPVGNANDA RELIGIONE INEPTIIS

LIBER PRIMVS.

Magno profecto, omni tempore, veræ hominum felicitati, detrimento ea opinio fuit, qua multi bonarum literarum & philoſophiæ præcipue ſtudium, damnum bonis moribus inprimisque religioni, & exitium afferre ſemper crediderunt. Quanquam enim plerique omnes ita ſibi perſuadeant, nihil religioni optatius contingere poſſe, quam ſi, a viris ingenio & doctrina præſtantibus, defendatur, vulgo tamen metuunt, ne cum diſputationibus illis, quæ ſeorſim ab ipſa inſtituuntur, non optime ei conveniat. Et quidem de illis, qui, vel aperte vel ex inſidiis, verum Dei cultum oppugnarunt, minime mirandum. Quo autem dicam, triſti certe ac deplorando, fato, accidiſſe, ut omni tempore reperti ſint, qui viros optimos, quorumque ſumma, vel de religione vel de moribus, merita extiterunt, velut infenſiſſimos Dei hominumque hoſtes, non ſolum in invidiam, apud bonos omnes, adduxerint, ſed & vexandos atque exagitandos ubique cen-

ſuerint? Scilicet, cum cætera, quæ eſſent a vita hominumque felicitate remotiora, rationis examen ſubire, facile paterentur, tamen de iis, ſine quibus requies aut ordo in republica conſervari nequit, inprimisque de ea, quam Dei O. M. gratia ſe religionem obtinuiſſe gauderent, diſputari, vel caute admodum, vel plane nullo modo putabant oportere. Ita enim quisque donum hoc prorſus divinum amplectebantur, itaque neceſſarium, ad communem hominum ſalutem & tranquillitatem, exiſtimabant; ut, ac ſi de exitu timerent, vel in ejus naturam internamque rationem inquirere, nefas ducerent. Quaſi vero non maxima hæc præcipuaque laus religionis eſſet, quod cum recta ratione congruat, aut etiam bona hominumque generi ſalutaris foret, niſi vera, id eſt, philoſophiæ ac rationis principiis eſſet conſentanea.

Enimvero aut miſeranda humana conditio, aut magnum philoſophia malum eſſet, ſi, quæ homini maxime optata contingunt, ea diſputando eripi, &, quæ veriſſima eſſe, non ſolum omnes optant, ſed maxime ſibi perſuaſum habent, eorum perſpicuitas elevari oratione poſſet. Sed non adeo miſeri ſumus, ut ex cujusque, vel diſputatoris vel philoſophaſtri, aut argutiis aut petulantia pendeamus. Ut enim conſtans perpetuaque veri natura eſt, ſic æterna atque immutabili lege cum noſtra felicitate ita conſpirat, ut, quidquid inſignem hominum generi utilitatem vel fructum pariat, nullo modo falſum eſſe aut effictum queat. Itaque damna quam plurima, ſummumque omnium malorum, ſcelus, errorem ſequuntur, cum veri cognitio, neſcio an etiam aliquando malo ob nequitiam noceat, optimo certe cuique atque honeſtiſſimo, ut maxime accurata, ita ſalutaris maxime commodaque eſſe ſoleat.

Hæc

Hæc autem eo certiora ſunt, quo, non ſolum, ab nemine eorum, quorum eſſe religionem intereſt, negantur, ſed ne ab illis quidem, qui inter aniles eam fabulas ſuperſtitionesque referri cupiunt, in dubium vocari videmus. Non enim vidi umquam hominem, cum funeſtiſſimos errores, & vel religioni, vel moribus, maxime exitiales defenderet, fateri, ſuas opiniones, hominum vel publicæ felicitati vel privatæ, eſſe contrarias. Quin omnes, ſe & humani generis patronos, & ſcelerum errorisque extirpatores eſſe, magna voce profitentur. Cum autem, quidquid tandem nonnulli, qui cæteris hominibus melius ſibi ſapere videntur, aut dicant, aut exiſtiment, magnam religionis, vel ad publicam vel ad privatam felicitatem obtinendam conſervandamque, vim nemo ignoret; cur igitur, inſanorum quorumdam hominum temerarias de religione voces aut ſcripta pertimeſcimus, aut ideo philoſophiæ iraſcimur?

Verum haud dffitendum eſt, & magno noſtro cum dolore dicimus, plurimorum & inprimis Gallicorum ſcriptorum licentia factum eſſe, ut magnam philoſophia, apud multos, quibus religio curæ cordique eſſet, invidiam ſuſtineret. Et videtur hæc ſaluberrimæ diſciplinæ infamia inde orta eſſe, quod, quæ, ad tuendam veritatem atque religionem, nata inventaque ſcientia erat, eadem nonnullos ad illas oppugnandas deſtruendasque uti, multi boni quidem viri, ſed non admodum acuti, nec ſane hanc rationem bene experti, ſibi perſuaderent. Quæ quomodo in pulcherrimam ſaluberrimamque artem conveniant, ipſi viderint: nos in eo perſtamus atque obduramus, nullam homini niſi e vero felicitatem oriri; verum autem eſſe, quidquid infelicem hominem reddat, nullo modo poſſe. Et fateor, me, qui numquam ab hac diſciplina abhorrui,

rui, ne unum quidem diem, ejus in animo amorem retenturum, ex quo, vel religioni, vel bonis moribus officere edoctus fuero. An autem iniquum eſt, ſi quorumdam, ſive error ſive levitas aliquid peccavit, id philoſophiæ tribui: aut etiam indidignamur, hanc Spinozam protuliſſe, ſi plures Leibnitios formaverit? Quis vero neſcit, quæcunque mala diſputando facta ſunt, ea non hujus doctrinæ, ſed hominum opera eveniſſe, remque ſua natura optimam, quum a malis pervertitur, peſſimam fieri?

Neque vero hæc ita a me dicuntur, quaſi bonæ cauſæ aliquid damni aut detrimenti accedere, ab horum hominum petulantia, crederem, ſed quod multi, qui, ut eſt apud Tullium, philoſophandum eſſe, ſed paucis, volunt, infimo quoque & quod maxime in promtu eſt, differendi genere ita ſunt contenti, ut, quæ ſunt a conſuetudine ſenſuum atque phantaſiæ remotiora, magnifice contemnant, argutiasque ſuas, magnis illis nugarum artificibus Leibnitiis, Wolfiis, Lockiis, Bonnetis, atque Mendelſohniis relinquant.

Di meliora nobis, erroremque hoſtibus illum.

Quanquam ne illis quidem. Quid enim eſt, pro Deum immortalem! magis ridiculum, quam homines, qui vix prima philoſophiæ elementa didicerunt, ſummis viris arbitros ſedere, atque philoſophis, quorum ingenium orbis admiratur, ita judicium facere, ac ſi ex horum minutorum judicum voce veritas omnis penderet? Quod facere egregie ſciunt ii, qui in Voltairii aliorumque, quorum Gallia fœcundiſſima eſt, ingenioſorum hominum, ſed ineptiſſimorum philoſophorum verba, velut in divina oracula juraſſe videntur. Quorum ſpiritus, aliquantum, ſpero, reprimerentur, ſi ſcirent, ſæpius ſe non in novas nec horum hominum opiniones, ſed in

in Epicuri, ſed in Zenonis, ſed in Democriti, ſed in Stratonis, ſed in multorum aliorum, vel veterum vel recentiorum, errores, jam diu repulſos atque exploſos, jurare. Quanta autem porro utilitas inde bonis veniret, ſi palam omnibus innoteſceret, quam inepta quamque ratione omni deſtituta eſſent, quæ tamen ab his hominibus, non certe ut ab hominibus, ſed quaſi ex tripode dicta proferuntur. Ita enim non ſolum voces eorum compeſcerentur, quorum intereſt bonam rem oppugnari, ſed eorum quoque metus diminueretur, qui, leviſſimo quoque impetu in verum facto, actum de ſe & de religione bonisque moribus, Hannibalemque præ foribus clamant.

Quæ ratio nos impulit, ut tentaremus, ſi quid in aperienda impiorum miſeria atque levitate, pro noſtri ingenii mediocritate valeremus. Atque cogitantibus nobis, aptiſſimus hanc in rem ille liber viſus eſt, cui (*) *Syſtematis naturæ* titulus inſcribitur, quique Neocomi, dum ibi degeremus, denuo typis recuſus, haud parvas, non in urbe ſolum ſed etiam in agro turbas dedit. Ita enim liber iſte plenus inſaniæ eſt, ut fere omnes omnium ſeculorum errores, quot quidem conjungi poſſunt, in illum unum confluxiſſe videantur. Jam enim mundum eſſe æternum, jam omnia cæco impetu impelli, neque in homine aut in cæteris ullam eſſe libertatem, jam animum humanum neque ſimplicem neque immortalem, & ex igni, aut neſcio qua alia re, confectum; jam cuivis impune licere, cum vitæ ipſum pertæſum fuerit, violentas ſibi manus inferre; jam Deum nullum eſſe, & quid non? divino ſcilicet ſtudio, atque incredibili in homines amore, ad eradicandas peſſimas illas hominum-

(*) Syſteme de la nature, ou des loix du monde phyſique & du monde moral. Londres, MDCCLXXI.

nuſquе generi peſtiferas opiniones, non ut homo, qui errare poſſit, ſed velut Deus aliquis, non argumentis probat, ſed ſumma cum fiducia credi jubet. Quanquam vero bene ſciamus, talem librum vix dignum eſſe, ut refellatur, certe numquam pro philoſophis, & pro bonis omnibus fortaſſe rarius, non tamen inutile credimus, ad diminuendum quorumdam hominum faſtum, quo ſe aliquantum adeptos, ab ſuis magiſtris, ad deridendam cæterorum religionem arbitrantur.

Nos autem in perficiendo noſtro propoſito ita verſabimur, ut non tam ſingula auctoris veſtigia perſequamur, quod jam factum ab aliis, ita, audivimus, ut opera, in hac re, noſtra non deſideretur, quam locis quibusdam, quæ aptiſſima videbuntur, oſtendamus, quam ſint levia, quamque minime cohærentia impiorum adverſus religionem argumenta, vel potius convicia, & iniqua, a verique ſtudio aliena, diſputandi ratio.

Primus igitur capitaliſque error, de quo nobis dicendum putamus, iis continetur, quæ de corporum natura atque motu, auctor libri iſtius proponit. Et quidem corpora dicit ſuapte natura atque indole moveri, neque alia ulla re ad hanc ſuam vim exercendam indigere. Quæ omnia eo valent, ut & Deum, ſi fieri poſſit, tollat, resque omnes ſine Numine, perpetua atque immutabili lege compactas eſſe, ita enim profecto, obtineat.

Hoc nempe adhuc deerat, aut bonorum hominum terrori, aut malorum lætitiæ, ut novus hic aliquis Strato aut Zeno oriretur, (*) qui, quidquid aut ſit aut fiat, naturalibus aut fieri aut factum eſſe ponderibus aut motibus, ignemque eſſe illam naturam diceret, quæ quidque gigneret & men-

tem

(*) Cicer. Acad. Quæſt. L. I. & IV.

tem atque ſenſus. Sed audiamus ipſum potius loquentem. „ Quod ſi forte, inquit, aliquis nos „ interroget, unde naturæ motus fuerit tributus; „ illi reſpondebimus, per ſe illam ipſam moveri, „ propterea quod hæc eſt rerum omnium univer„ ſitas, extra quam, nulla res eſt, nec eſſe po„ teſt. Motum dicemus, corporum natura con„ tineri, ac propria quadam cieri inſitaque vi & „ virtute. Dicemus varios motus ex varia ele„ mentorum ratione pendere, quorum natura „ omnium complexus eſt. (*) ". Et nos diceremus, pulcre! niſi argumenta deeſſent. Verum dictatoris eſt dicere, philoſophi autem probare. Quid ſi noſtrum aliquis, ita? Quod ſi quis forte miretur, qua vi corpora moveantur; is ſciat, hoc ipſis a Deo fuiſſe tributum, propterea quod ſua natura ſint inertia, ac ne eſſe quidem, ſine divino miniſterio, poſſint.

Verum operæ pretium fuerit; diſpicere, quænam rationes hominem adduxerint, ut iſto modo ſentiret. Hic autem illum videmus ea opinione imbutum eſſe, ut credat, ex cæteris, quæ ſint in corpore, motum facillime explicari. (**) Negat enim, quidquid extenſum ſit, pondere carere, quidquid vero pondus habeat, in terram ferri, niſi a graviori repellatur, oportere exiſtimat. In quo autem non vidit, minime ideo, corpora, quod extenſa ſint, moveri, totamque propriam ac diverſam hanc rationem eſſe. Quamvis enim, quæ maxime extenſa, id eſt, ſpiſſa denſaque corpora ſint, ea maximum pondus habeant, &, quæ ſunt par-

(*) Pag. 22. (**) Le mouvement eſt un ſuite néceſſaire, de l'éxiſtence de la matiere, de ſon eſſence, & de ſes propriétés primitives, telles que ſon étendue, ſa peſanteur, ſon impenetrabilité, ſa figure &c. p. 29

parvi voluminis, minimum, tamen non ab hac corporum ratione motus oritur, verum ſeſe ad illam accommodat. Quod niſi hæc ita eſſent, non certe liqueret, cur nonniſi in terram corpora ferantur, cum æque undique aër huic motui pateat. At minime corpori naturale eſſe dicent, ut in altum tollatur, verum ipſo pondere ſupprimi. Si igitur natura ſua corpora, id eſt ſponte, moventur, neceſſe eſt ſemper moveri, & ſi ob proprium pondus in terram delabuntur, ſemper oportet ad pares angulos deorſum ferri. Quid autem eveniet, ubi nec ſumma alia nec infima nec media ſed paria omnia fuerint? Novimus enim, ut apertius loquar, nullum natura ſua locum aut altum eſſe aut depreſſum, ſed hæc omnia orbis noſtri ratione judicari. Quando igitur ſol nobis in mare ſe præcipitare viſus eſt, illis exurgit, qui ex adverſo noſtra veſtigia premunt, atque ubi jam nobis, illata luce, Phœbus imminet,

Illic, ut perhibent, nunc intempeſta ſilet nox,

Et quæ illis ſupina ſunt, pedibus ea ſubjacent noſtris, & viciſſim. Jam terram noſtram totumque adeo mundum tollamus paulisper e mente, unumque nonniſi corpus in aëre ſuſpenſum relinquamus. Quoniam in natura corporis eſt, ut moveatur, movebitur illud quidem, ſi noſter ſibi conſtare voluerit. Quorſum autem moveatur? Scilicet, qua lege corpora labuntur, ea, vi omni, præceps in æternum ruet. Sed ubi æqualia omnia ſint, ibi nec cadere ullam rem poſſe, nec attolli jam diximus. At puto, qua data porta ruet, & quocunque impetus tulerit, nullo impedimento objecto, modo huc modo illuc, aut quovis volvetur. Hoc vero profecto nemo dicet, qui non philoſophiæ

ignariſſimus fuerit. Quod ſi enim corporis hujus, demtis reliquis omnibus, in quasvis partes eadem ratio eſt, ut in neutram inclinet, fieri profecto nequit, ut loco permoveatur, niſi externo pulſu agitatum. Quod niſi ita eſſet, res fieret, cujus, nec ex ipſo corpore, nec ex aliis rebus, probabilis ratio reddi poſſet. Ex quo patet, qui corporibus motum ſpontaneum tribuunt, contra prima adeo philoſophiæ elementa peccare, quæ aut ignorare aut præterire philoſopho pariter turpe eſt.

Quoniam autem vidimus, motum in corpora quidem cadere, ſed non in eorum natura ineſſe, ut neceſſario ſemperque moveantur, oportet hanc vim ab alia diverſaque natura ipſis tributam fuiſſe. Jam vero mihi audire videor turbam hominum, non eo opus eſſe, ſed hæc omnia facillime ex ipſo mundi ordine explicari, clamitantium. In quo quidem optime faciunt, ut & Deum magno labore liberent, & ſe difficultate. Hoc igitur, videant enim, quam ſimus liberales, ipſis dabimus, corpora in noſtro hoc orbe, & fortaſſe in mundo univerſo, ab iſta rerum ſerie & continuatione, non ſolum moveri ſed etiam orta eſſe, niſi quod elementa rerum excipimus. Atque minime, ut mali poëtæ, nodo huic, Deum ex machina, ut ajunt, quæremus, ſi natura ipſa illi explicando ſuffecerit. Quamobrem corporum motum ex hac rerum conjunctione pendere dicemus, ſive occulta lateat, in noſtro hoc orbe vis aliqua, qua corpora attrahantur, ſeu, craſſo illo concretoque aëre telluri noſtræ circumfuſo propulſa, terræ adhæreſcant.

Nunc vero ſcire velim, unde hic ordo mirabilis eaque rerum conjunctio orta ſit. Et valde metuo, ne jam Deo aliquo indigeamus, non quidem, quaſi ex machina, ſed ab ipſo populo, ut fabulam expediret, vocato. Quomodo enim Dei, hac in

re, opera ſuperſedere, poſſumus, niſi eventus ipſos cum ſuis principiis confundere, ac mundi rationem ordinemque ipſum, rerum ponderibus motibusque effectum eſſe, contendere velimus? An forte, ut apud poëtam, congeſtis, in unum cumulum, ſine ordine aut diſcrimine, rerum omnium principiis, tum conſtanti niſu, conantibus ſingulis emergere, cum aut pondere ſuo deprimerentur nonnulla, aut levitate ad ſumma evaderent alia, ex tanta pugna ac diſſenſione, repente nata eſt pulcerrima rerum deſcriptio?

Cum his certe optime conveniunt, quæ auctor noſter de rerum omnium formatione ſentit. (*) Minime enim putat vim divinam in creandis rebus deſideraturos, quicunque noverint omnia eſſe in perpetuo vigore atque in idem terræ punctum, ut hoc utar, celeritate ferri, conſtantique pulſu motuque, omnia, quæcunque videmus, corpora aut efficere aut deſtruere. Igitur Carteſium inquit, ad formandum mundum, præter corpora, id eſt, eorum materiam & quaſi elementa, nihil deſiderare. In quo autem fortaſſe non aſſecutus eſt mentem hujus philoſophi. Dum enim corpora poſtulat, motum ſine dubio, quo efficiuntur, eaque omnia, ſine quibus motus eſſe nullus poteſt, ſupponit, motumque & materiam ſufficere oſtendit, ne omnia miſceantur omnibus, ſed in ſua quæque domicilia abeant. Utcunque autem hoc fuerit, fieri profecto nequit, ut, ſi ad motum, ipſa illa, quam videmus, rerum conjunctio requiratur, eadem motu fuerit orta.

Quam multis porro aliis incommodis hæc opinio urgeatur, facile patebit ei, qui paulum accuratius, rerum naturam voluerit indagari. Revera enim ad ex-

(*) Pag. 26-37.

explicandam rerum omnium formationem, nihil profuerit, illud ipſum obtinuiſſe, ut corpora ultro ſuaque natura atque indole moveantur. Fingamus enim corporum elementa ab æterno exiſtere perpetuoque & conſtanti motu agitari, quid inde proveniet? Scilicet illud, ut, quoniam alia pondere ſint graviora, leviora alia, illa pondere ſuo infima petant, hæc autem, ob levitatem repulſa, ad altiora tendant. Quæ igitur mox congeſta in unum acervum confuſaque jacebant,

rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum,

Ea diremta ab aliis alia ſecretaque, præter eadem rerum principia, ſed explicata locisque diſſociata nihil efficient. Tum igitur,

Ignea convexi vis & ſine pondere cæli
Emicuit ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aër illi, levitate locoque;
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Ultima poſſedit ſolidumque coercuit orbem.

Quid autem? Res illas pulcherrimas, quæ mirabili quodam principiorum omnium temperamento continentur, unde ortas eſſe credimus? Unde ſanctiſſimum animal hominem, abſolutiſſimum, hujus quidem mundi artificium natum eſſe dicemus? An forte cum veterum quibusdam, ex luto ſolis fervore calefacto animatoque cum cæteris animalibus hominem quoque ortum fabulemur? Hanc certe originem ei mirifice placere, cui inepta omnia placent, minime miramur. Hoc autem miramur maxi-

me, quod, quæ ſunt ſua ſomnia, certe non diſputantis ſed optantis, ea nobis obtrudere minime erubeſcat. Niſi forte ideo, quod quæcunque inſunt in homine vires ab ipſo motu oriri opinatur, hominem ipſum eadem cauſa effingi debuiſſe exiſtimat. (*) In quo, quantum fallatur, haud difficile erit docere. Vt igitur naturam animi ſimplicem, de qua ſeorſim dicemus, ab iſta disputatione removeamus, nos minime intelligimus, qua ratione, ex craſſis illis inertibusque corporibus, quæ nonniſi uno perpetuoque motu in terram feruntur, naſci tam varia, tam compoſita, tam artificioſa tamque diverſis motibus res poſſit. (**) Quid enim motus ille conſtans habet, ex quo tanta poſſit varietas progigni? Ex corporis quidem humani interna ratione facilis eſt conjectura eorum, quæcunque homini externe contingunt: ex tumultuaria vero principiorum commixtione, nullo modo res natura ſua atque ordine tam mirabilis poteſt oriri. An, quod in horologio alia aliis incitari, motuque interno cieri videmus, ideo opus ipſum, nulla arte humana, ſolo elementorum pulſu motuque productum eſſe dicemus?

Quid

(*) Vid. Caput VI.

(**) Quartam cauſam eſſe, eamque vel maximam, æquabilitatem motus, converſionem cœli, ſolis, lunæ, ſiderumque omnium diſtinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe fortuita. Vt ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit; cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit, ea ſine cauſa fieri, judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immenſa & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Cicero de Nat. Deor. L. II.

Quid autem eſt, cur dubitemus genus humanum neque ex terra pullulaſſe, neque ex luto fuiſſe concretum, cum & noſtra patrumque memoria conſtet, hominem ab homine naſci? Quod ſi auctor meliori memoria erat, vellem protuliſſet exemplum, hominis iſto modo naſcentis. Quando autem nec ipſe, nec vetus omnis memoria ejus rei ullum habet exemplum, inde vere concludimus, nullam unquam niſi hanc rationem obtinuiſſe, atque animalia quæcunque ex ſuo nonniſi genere propagari. Hic vero nobis beſtiolas illas adducet, quas ex farina, admixta quadam aquæ portione natas eſſe, Nedhami, neſcio cujus, auctoritate affirmat. Quod ſi autem unum animal eam originem habuerit; quid impedit, quo minus cætera omnia & hominem quoque olim ſimili ratione orta eſſe dicamus? At vero quis putaret, philoſophum, qui præjudicatas hominum opiniones eradicare conatur, iis uti, quæ ab ſanis omnibus jam dudum convulſa atque exploſa ſunt; velut a Spalanzano factum audivimus, in diſſertatione ante aliquot annos edita. Merito igitur eriſum memini a Voltairio, in quadam hujus ipſius Syſtematis, ſi Deo placet, confutatione.

Porro ſi primos natura homines produxit, cur jam novos creare ceſſat, cum nec terra deſtituatur limo, idemque ſol in cœlo ferveat? Neque vero illud ſatis apparet, cur generis aliquod diſcrimen fecerit, conjunctioniſque appetitum non homini ſolum, ſed cæteris quoque animalibus tribuerit, quo propagare, ad poſteros, ſuum genus poſſint, ſi eadem ex ſeſe res quaſcunque efficere valeat. At puto, in hoc, ut in cæteris, ſapientem opificem imitata fuit, qui numquam ea ipſe facit, quæ arte ab opere ſuo obtinere poteſt. O igitur, admirabilem naturæ vim! O perfectam & omni intellectu ſuperiorem neceſſitatem! o cœleſtem omnique lau-

de majorem ſapientiam! O naturam, o rationem, o mentem divinam! Imo vero o miſeros homines, o peſſimos, o omni cogitatione ineptiores philoſophos! qui, ut Deum tollant, ſine quo boni omnes vitam hanc ſibi mortem putant, corpuſculis divinos honores faciunt: qui ea, quæ in ſumma natura negant ſe intelligere poſſe, neſcio cui neceſſitati fatalique corporum concurſui tribuunt. At jam diu nimis multi ſumus, in nugis iſtis confutandis; & male puto operam ſuam locare, quicunque contra iſta diſertus eſſe voluerit.

Quod autem tantus fuerit, in adſerenda corporibus æternitate, hujus rei eam cauſam eſſe videmus, quod intelligi poſſe negat, quomodo Deus, ſi modo Deus aliquis fuerit, vi ſua propria efficere corpora potuerit. Igitur aperte pugnare putat, ut aliquid producatur, quod non fuerit ante. Ac neſcio, quomodo ad hanc ſuam opinionem confirmandam, Grotii aliorumque teſtimonium afferre potuerit, eam vocem, qua in libris ſacris, noſtri orbis prima origo deſignatur, ita explicantium, ac ſi noſtra hæc terra, quo tempore a Moſe condita dicitur, non producta a Deo, ſed nonniſi formata novaque ratione compoſita fuerit. A qua opinione tantum abeſt, ut abhorreamus, ut potius eo ipſi inclinari videamur. Hoc autem pro certo tenemus, eorum virorum rationem, ab hujus mente, quam longiſſime diſcedere. Sive enim olim totum terrarum orbem, aquæ ſubmerſum fuiſſe dicamus, quod hominum memoria, antiquitus, magnæ certe ejus parti, accidiſſe conſtat, ſive qualem finem aliquando habiturum vetus opinio fuit, (*) exuſtum

(*) *Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, adfore tempus,*
Quo mare, quo tellus correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.
Ex Ovidii Metamorph. L. 1. conf. Cic. de nat. D. L. II.

ſtum igne credere malimus, neutra profecto opinio, quidquam rerum creationi derogabit. Vt enim aut multa annorum millia, ab iſto tempore, mundi primam originem removeamus, aut etiam, ſi quorumdam opinio vera eſt, omnia ab æterno a Deo creari dicamus, res eodem evadit.

Hæc igitur & hujusmodi alia, non ſine multo inanique verborum ſtrepitu, illum jactare, qui perverſas hominum opiniones corrigere ſe pollicetur, nemo, opinor, indignabitur potius quam ridebit. Quamvis enim humanum fuerit errare, illum certe quovis riſu dignum exiſtimamus, qui, cum ab nemine diſcere, docere autem omnes voluerit, ita de rebus philoſophicis judicaverit, ut homo, ex plebe ignariſſimus. Et profecto, quid horum eſt, quod non homo, ne dicam non acutus, ſed ſimpliciſſimus, de corporum motu interrogatus reſponderet? Res, quam quæritis, in promtu eſt, ſic enim diceret, neque multa eget, explicatione. Nullum eſt corpus ſine pondere: quidquid autem pondus habet, natura ſua infima quæcunque petit. Neque ego prorſus mihi corpus ſingere poſſum, quod non elevatum, in terram, ſumma celeritate, niſi aut ab homine aut alia re ſuſtineatur, recidat. Itaque, qui mihi de hoc diſputant, idem ſapere videntur, ac ſi quis, orbesne deſcribi poſſint non rotundi, dubitare voluerit. Ita certe ruſticus homo ut ruſticus. Ecquid autem ſapientius noſter philoſophus? Immo tanto melius ille, quod, quæ ipſe, ut cognita paucis verbis, alter, ut neſcio quæ recondita ſapientiæ miracula, inepto verborum flumine in magnum volumen extendit. Vt jam taceam, quæ veterum ſomnia, de formatione rerum omnium & imprimis hominis, repetit. Hiccine igitur illi tam metuendi homines, a quorum argutiis interitum

imminere religioni bonisque moribus omnes clamant?

At hæc parva adhuc, & quæ merito rideamus, jam autem erit fortaſſe, quod ſtomachemur etiam. Nempe viderat homo callidus, perdifficilem eſſe, ſuæque opinioni quam maxime inimicum, de animi natura locum, ut communiter fieri ſolet, a corporum natura ſegregatum. Quod ſi enim animum ſimplicem eſſe, ab omnique concretione liberum fateretur, neceſſe erat, ut ab ea lege, qua cæteras res omnes ortas eſſe dixerat, ejus originem eximeret: quo facto, ſpe ſua, Deum tollendi, turpiter excidiſſet. Quid igitur faceret, niſi mentem quoque ipſam animumque minime ſeorſim exiſtere, ſed in corpore, velut aliquam ejus affectionem ineſſe, illiusque habitu quodam partiumque motu & ratione effici diceret?

Hic autem primum intelligi poſſe negat, quid ſit natura ita plane ſimplex, qualem animum dicimus, ut prorſus nihil extendatur. Ejusmodi enim rem, ab eorum, quæ cognoſcimus, omnium, natura abhorrere, rectiusque nihil, quam aliquid vocari. Igitur nec corporum extremas partes ita eſſe a corporum ratione alienas, ne mente certe ac cogitatione poſſint dividi (*). In quo vero mirari ſubit, atomos, e philoſophia primum a Leibnitio ejectas, ut quibus nihil abſurdius, patronos ſuos, etiam noſtris diebus, nactos eſſe. Nempe invaſerat tanquam pernicioſa peſtis, veræ philoſophiæ ſtudio exitium atque interitum allatura, Gallorum quorumdam animos, peſſima opinio; qua nihil non ad ſenſuum atque phantaſiæ conſuetudinem referendum credunt. Qui error contagione quadam, etiam ad noſtros pertinuit, & indies plura incrementa

(*) Pag. 96 & 97. (21.)

menta capiet, niſi remedia huic malo diligenti cura adhibeantur. Ea igitur philoſophia, quæ, ſi qua alia, vere pigrorum dici poteſt, noſtro huic ſenſui velut miniſtra ſerviet, nec ſolum non ejus auctoritatem offendet, ſed his quaſi finibus circumſcripta, non ultra progredietur, quam oculis videbimus. Tunc igitur, ilicet ſatis philoſophati ſumus, & male operam noſtram perdidimus, ſi quam in contemplanda rerum natura conſumſimus. Ego vero, ſi qua in his ineſt fallacia, malim me ab ſenſu externo decipi, ut haberem, quo hujus errorem, ſi quando laberetur, corrigerem. Et quam multa aliter ſenſu perciperemus, niſi aut ipſa ratio, aut philoſophia, quæ eſt ratio exculta atque perfecta, nos interdum moneret, quæ fides ſit adhibenda his ſenſuum ludibriis? Velut proclive nobis eſſet oſtendere, quantopere vulgus hominum in ſua de corporibus opinione fallatur, niſi potiora haberemus.

Quamobrem, ut ad propoſitum revertar, qui corporum partes ſimplices eſſe negat, illi neſcio, cur non etiam novas, in numeris habenda videatur, cum ſimillima, ratione, & quaſi una res ſit. Quod ſi enim, partium numero, magnitudo æſtimatur, minimum erit id, in quo partium numerus inferior eſſe non poſſet. Jam vero binis minorem numerum non habemus, quod proximum ab eo abſunt, quod non eſt numerus ſed monas. Cum autem bina ſingulis conſtent; inde ex iis, in quibus numerus non eſt, junctis, quemvis exiſtere numerum perſpicitur. Simili plane ratione, in diviſione corporum, niſi abſurdiſſimam rem, partium numero infinita eſſe dicamus, quædam minima eſſe & bina oportet, & quæ ſingulis conſtent. Atque ut in ſingulis, quanquam numeros

B 5 con-

conſtituant, nullus ineſt numerus; ita noviſſimæ illæ corporum partes, quanquam ex iis corpora ſint omnia compacta, tamen minime ſunt illæ ipſa corpora, ut magnitudinem aliquam habeant.

Qui vero aliter ſtatuunt, multa inepte atque abſurde. Primum enim, niſi corpora ex corporibus concreta eſſe dicunt, ego, quid dicant, me neſcire fateor. Tum autem, ſi principia illa, extenſa dicant, ſed negent corpora eſſe, ipſos, quid dicant, aut negent, ignorare neceſſe eſt. Nam quod noſter partes quidem habere ait, quas vero ſola cogitatione, nec, ut in corporibus, alia re ſeparari poſſe; iſta nimirum tam inconſiderate effutiuntur, quam cætera. Sive enim natura ſua ſunt inſeparabiles, ſejuncta cogitari abſurdum: ſive una alterius ita indigent, ut, niſi utraque neutra eſſe poſſit, non porro diverſæ aut plures, ſed una eademque res, neque partium ratione ſunt æſtimandæ.

Quod niſi hac via, luce clarius meridiana, probare poſſemus, eſſe aliquid, præter corpora, oportere, ipſa nobis animi ratio, ſatis, puto, declararet, eſſe eam naturam non craſſam, nec corpoream, ſed puram, ſed ſimplicem, ſed ab omni concretione prorſus liberam. Quid enim tandem habent, iſti corporum patroni, quod doctrinæ huic noſtræ opponant? Scilicet vellent ſibi dari ſpiritum aliquem videndum aut contrectandum, quod ſeſe intelligere negant, quid tandem ſit illud, quod numquam neque viderint, neque audierint, neque tetigerint, neque guſtaverint, nec denique olfecerint. (*) In quo haud ægre ferremus, ſi hebetiori viſu

(*) Pag. 96. & 105.

viſu erant, minime id ſibi liquere fatentes, modo ne eſſent iis adverſi, quibus contrariam opinionem certa ratio perſuaſit. Quis autem cæcum ferret, colores ideo nihil eſſe, cæterosque homines quam maxime falli, affirmantem, propterea, quod ipſe neque ſenſu umquam perceperit, nec ullam eorum animo informatam ſpeciem haberet? Atque ſimili plane ratione agere cenſendi ſunt, qui animum ideo purum eſſe negant, quod ejusmodi natura, ab ſenſuum noſtrorum conſuetudine, abhorreat. Quod ſi rem, ſua natura ſimplicem, aut oculis aut manibus uſurpandam ſibi exhiberi poſtulant, ingenue fatemur, non ea peti, quæ præſtari a nobis poſſint: ſin autem ideo nos ſomniare putant, vellem, protuliſſent, quibus ea opinio niteretur, argumenta, vel certe noſtra confutaſſent, quæ ſatis cognita ſunt. Verum nec ſuperiora illa attingere ſatis tutum putant, &, ut quibus raro animus eſt, aperte pugnare, velut ex inſidiis, brevibus illis ac contortis quæſtionibus rem noſtram turbare conantur. Neque tum mirari oportet, niſi, in quamcunque veſanam interrogatiunculam, ſapiens reſponſum in promtu habemus: non enim ea noſtra, ſed interrogantis culpa eſt. Velut cum e nobis quærunt, quam ſibi naturæ ſimplicis animo ſpeciem effingere debeant, noſmetipſos ignorare fatendum erit, niſi eo ſatis habent, quod nullam eſſe naturæ ſimplicis craſſam & quaſi concretam imaginem, ſed unam ſed ſimplicem ſed puriſſimam ſed proximam ab ea, quæ quaſi duplex ſit, nec phantaſia, ſed mente prorſus atque animo, formandam dicimus. Enimvero & clariſſima ſunt, & omni dubio majora noſtrorum argumenta, quibus, & corporum extremas partes puras & eamdem animi naturam eſſe, probant. Ea igitur contemnere, atque in nugis iſtis hærere, hominis

eſt,

eſt, non verum magis quam ſuas opiniones ſectantis.

Atque de animo poſtea videbimus: jam reliqua perſequemur, quæ ad deſtruendam, ſi Deo placuiſſet, ſimplicem ejus naturam, interrogat homo noſter. Hic autem vult illud ſibi explicari, qua ratione corpus a natura ſimplici impelli poſſit, atque moveri. Nobis igitur, ſi contra aliquid liceat interrogare, quærimus, qui tandem ſciat, ex mente noſtrorum, illud eſſe debere animi, cum corpore, vinculum, & quaſi neceſſitudinem, ut quemadmodum corporis in corpus, ita illius in animum foret contactus? Nam quod varias multorum opiniones, & inprimis ea, quæ Leibnitius de conſenſu corporis cum animo tradiderat, ficta ingenioſe quidem ſed ficta tamen putat, iſto nimirum eo movemur minus, quod ea citius dici, quam probari nobis perſuaſum eſt. Tunc autem, ſin minus nobis probarentur, quæ ille tamen haud pœnitenda magno philoſopho excogitavit; malim profecto tanti viri errorem ſequi, quam horum hominum correctionem. Neque vero eſt, cur fidem aliquis huic opinioni, quamvis inuſitatæ, recuſet: donec aut meliora comminiſcetur, aut hæc pugnare docuerit. Cum enim aliquid volumus explicari; ſufficit illud obtinuiſſe, ut clarum ſit, id aliquo modo fieri poſſe, de quo quæritur. Ex quo intelligitur, eſſe a repugnantia liberum.

Verum ut ingenue fatear, quid ſentiam, quanquam nulli ſua invideamus, neque tam ſtulti noſtrorum ſimus amatores, ut neminem ferre poſſimus aliter ſentientem, tamen alia videmur nobis ratione eadem obtinere poſſe. Igitur, ſi illud fuerimus conſecuti, de quo minime dubitamus, ut naturæ ſimplicis, niſi in corpora, at certe in ſimilia ſui, vim quamdam & quaſi efficacitatem agno-

ſca-

ſcamus, facilis erit illa ſuperiorum explicatio. Et quidem noſtris, quibus principia corporum, non individua ſolum, ſed unica eſſe, totaque ex ſe pendentia perſuaſum eſt, ea probare, nulla fere opera fuerit: cum illis vero, qui ſanæ rationis vocem audire nolunt, diſputari omnino nequit. Quare ſeu iis moventur iſti homines, quæ ſupra attigimus, neque hic nobis deerunt, quæ reſpondeamus; ſeu priora illa contemnunt, iis tamen dicemus, quibus natura ſaniorem ſenſum ac mentem conceſſit.

Maneant ergo duo illa, quæ initio ponemus, & animum ab omni concretione puriſſimum, & corporis elementa minime corporata, ſed ejusdem naturæ eſſe. E quibus emergit tertium illud, ut, qualis corporis inter ſe partium, eadem harum cum mente ſit ratio. Quemadmodum igitur corporis elementa, quamvis ſolido careant, tamen ita ſunt apta, inter ſe connexaque, ut mutuo vinculo contineri videantur; ita ſimili ratione intelligimus, poſſe eſſe animi, cum proximis quibusque corporis partibus, tale commercium, ut & illarum miniſterio a corpore impelleretur animus, & per illas menti in reliquum corpus vis eſſet, & quaſi tranſitus. Si enim vel ad unam corporis minimam, id eſt, ſimplicem particulam animi vis pertingat, dubium non eſt, quin in reliqua omnia abire, & quaſi permanare poſſit.

Quod autem dici poſſet motus, non cadere, niſi in illud, quod eſſet corpus, neque ab alia re niſi concreta oriri poſſe; illud quidem, ſi recte intelligatur, verum eſt. Neque tamen ea noſtris quidquam officient. Nam cum niſi corpus, moveri nihil queat; clarum eſt commoto corpore partes ejus ſingulas immotas permanere, motumque, velut ſoliditatem aut numerum, ex pluribus rebus emergere, ſed qualicunque ratione mutatis. Atque ut

in

in muſicis, liceat enim nobis paulo abſtruſiora ea ad ſenſuum conſuetudinem transferre; quemadmodum igitur in muſicis, quamvis ſingularum chordarum nullus ſit concentus, tamen, ubi plures juſtis intervallis concrepuerint, illud efficitur, quod in ſingulis non erat, ita quodammodo intelligitur, qua ratione, unius naturæ ſimplicis, ad plures continuata, mutatio, ita enim a forma vocabimus, quoniam juſtum nomen una cum re ignoramus, tandem illum, in corpore, quem quærimus, motum efficere queat. Quod ſi illæ, minimarum rerum, moto corpore, mutationes oculis cernerentur, ſine dubio, longe aliter atque nunc, multas infinitarum rerum imagines atque varietates, longe diverſas, ab illo corporum habitu, quem motum vocamus, ibi deprehenderemus, ubi fatali ſenſuum ludibrio decepti, in unum omnia conjicimus. Cum igitur motus ſit, quaſi numerus eorum, quæ in pluribus minimisque corporum partibus fiunt, aut mutantur, neque ulla adſit cauſa, cur ſingularum rerum in ſingulas, magis quam in corpora corporum, vim eſſe negari poſſit; efficitur, ut natura ſimplex & motum in corpore ciere, & ab illo mutari poſſit.

Neque jam illud mirum videri cuiquam oportet, tantam corporis molem, a tantilla, naturæ ſimplicis vi, poſſe commoveri, cum in corporibus, ut quodque minimum, ita maxime infirmum eſſe ſoleat. Illud enim, quale ſit, facile patebit ad naturam animi corporisque humani attendenti. Nempe divinum hoc perpetuumque vigens αὐτοκινητον haud quaquam convenit ex elementorum, illorum, quibus corpora continentur, inertia & quaſi morte judicari. Quis autem porro ignorat, quantum in iſtis rebus ars valeat, quantasque, ab illa adjutus, unus homo moles permovere atque etiam attol-

attollere queat? Eaque, ſi in homine magna videatur, in natura, vel potius ejus opifice Deo, parva eſſe aut etiam nulla, ſunt exiſtimanda. Qualis vero eſt illa, quamque divina corporis humani ars, quæ ſunt iſtæ tantæ machinæ ac molitiones? E quibus niſi apparet, maximos motus a minima cauſa proficiſci poſſe, ego, quid dici aut probari poſſit, neſcio.

Et quid tandem illa moremur; cur ſub ullo onere ſuccumbere mens; id eſt, corpus mente impulſum poſſit, cum natura ſimplex, cui nihil cum corporibus ſit commune, eadem opera, qua vel minimum corpus permoveat, omnem terrarum orbem perculſura videatur (*)? Nimirum ſi Leibnitii opinio vera eſt, hoc omne, quidquid eſt, a corpore proficiſcitur: ſin autem noſtra magis placent; clarum eſt, ea omnia, quamvis ab animo profecta, tamen ex corporis, vel magnitudine, vel ratione eſſe judicanda, atque, ubi ulli ponderi non ſufficiat, illud non in animo ſed in corpore vitium ineſſe. Vt igitur, ſi quis ad onera paulo majora machinis vectibusque utatur iis, quæ ipſo niſu corrumpi neceſſe fuerit, nemo id hominis, ſed machinæ culpa fieri putaverit: ita nequaquam in corporis, quæ eſt iſta mentis, quaſi machinæ, imbecillitate, vires animi judicari oportet. Quod, ita eſſe, vel inde patet, quod non raro reperti ſunt, qui nimio niſu corpus ſuum deſtruerent; quod certe numquam accideret, niſi major animi quam corporis vis eſſet. Atque illud affirmare haud dubito, ſi cuiquam homini ſatis magnum corpus contigiſſet, illum nulli non ponderi futurum parem. Verum mirabili ratione divina ſapientia & corporis vires certis deſcripſit li-

(*) Pag. 99.

limitibus, eumque animi cum illo effecit conſenſum, ut numquam animus, ſupra modum, corporis nervos intenderet, quin ipſe ejus graviſſimam pœnam lueret.

Hæc igitur, ſi, ad explicanda illa, quæ voluimus, aliis quoque non apta ſolum, ſed & veroſimilia maxime, proximaque naturæ videbuntur; erit, quapropter gaudeamus; ſin minus: non admodum dolebimus. Nam qui, quid in quaque re veri ſit, quærit, is certe diſſenſum non poteſt moleſte ferre, hominum eodem ſtudio incenſorum. At ſi nonnulli, idcirco ea ſibi placere poſſe, negabunt; quod minime, velut animum nos, ita ipſi corporum iſtas partes natura ſimplices eſſe judicent, ii, quæ diximus, noſtra, noſtriſque dicta exiſtimabunt. Quanquam, ne ſic quidem illos ſtatim dimittam. Et hoc ipſum concedam, illorum vel faſtidio, vel tarditati, ut extremæ corporum particulæ ſint tales, quales atomos ſuos fingunt, dabunt viciſſim hoc illi nobis, ut eamdem dicamus animi naturam eſſe. Sic & ſuperiora illa, a naturis ſimplicibus, ad corpuſcula ſua tranſlata, facile rem omnem expedient, nihiloque minus mens a partium omni ſeparatione manebit integra, & interitus expers.

Verum hæc, & quæ addi poterant, complura alia, ut minus digna fortaſſe, doctorum hominum approbatione, prætermittimus adverſarioque noſtro locum facimus, non tam allaturi noſtra, quam, quæ ille protulit, a veri honeſtique ratione aliena, convellere cupientes. Quare inprimis illud agemus, ut appareat, quibus rationibus corpori ſit illud vindicaturus, quod nos animo tribuimus.

Nempe ex illis, quæ antea protulimus, patet, homini non puram eſſe mentem, id eſt, non cor-

po-

poream, placere; quod, ejuſmodi naturam vel cogitari, abſurdiſſimum fore, ſibi induxerat. Verum quum hæc ita dici minime ſufficiat, niſi etiam, quæcunque in homine inſunt, ea ab ipſo corpore proficiſci omnia poſſe, doceatur; illud quoque probare anniſus fuit. Cumque reliqua optime ſibi ceſſura crediſſet, ſi ſenſum aliquem vitamque in corpus, ſive materiam, cadere obtinuiſſet, illud primum vidit, ſi qua ratione hanc poſſet animare. In quo juvat cum Tullio exclamare:

Pro Deum popularium, omnium adoleſcentium
Clamo, poſtulo, obſecro, ploro atque imploro fidem:

Vt audiant, videant, percipiant, qua ratione ex mortuo atque inerti corpore, res fiat, ſenſu vitâque & ratione vigens. Atque primos omnium dialecticos vocabimus, ut mirentur nimiam hominis in definiendo ſubtilitatem atque elegantiam. Cum enim vitam atque ſenſus ita definiat, ut dicat, ex illo corporis habitu atque ratione, quæ maxime animanti conveniat, ita oriri; ut res, vitæ ſenſusque ante expers, haud ulterius iners ac ſine vita permaneat, verum & ſentire atque vigere incipiat, ſimul atque cum animanti conjunctum coaleſcat: (*) cum igitur tali modo vitam definiat, facit, ut tantumdem doctiores evadamus, ac ſi vitam eſſe vitam dixiſſet. Atqui ex dialecticis diſcere poterat,

(*) Si l'on nous demande, d'ou vient, cette proprieté (de la ſenſibilité)? Nous dirons, qu'elle eſt le reſultat, d'un arrangement, d'une combinaiſon, propre à l'animal, enſorte, qu'une matiere brute & inſenſible ceſſe d'être brute, pour devenir ſenſible, en *s'animaliſant*, c'eſt-à-dire en ſe combinant & identifiant avec l'animal. p. 114. conf. pag. 84. (19.)

rat, vitium illud, in definiendo inprimis magnum eſſe, ſi ex quibus priora explicita fuerint, ea deinceps ex prioribus explicentur. Velut cum vitam e quodam corporis habitu naſci, atque deinde interrogatus, qualis tandem iſte habitus eſſet, illum, qui maxime animanti conveniat, vel, quæ, mutatis verbis plane eadem ſunt, quem ſenſus atque vita ſequantur, reſpondeat. Quanto præſtabat, non ea ſibi liquere, fateri, quam ne puero quidem ignoſcenda committere! Niſi quod iſti homines, nihil magis metuunt, quam ne aliquid ignorare videantur. Quo gravius ſæpiusque temeritatis atque inſcitiæ notam incurrentes, peritis rerum ludibrium debere neceſſe eſt.

Deinde vero, ſi rem ipſam plenam erroris atque ineptiarum dixerimus, verendum fortaſſe etiam, ne lentius egiſſe videamur. Cum enim de vitæ origine quæſtio inſtituatur, quid attinet ſcire, num corpus iners mortuumque cum animanti conjunctum, ſenſu item vitaque vigere incipiat nec ne? Ita qui de ignis origine atque natura ambigeret, haud quidquam ſe profeciſſe exiſtimaret, ſi materiam abjectam in ignem, in flammas item abire edoctus fuerit. Nempe illud ſcire volebamus, qua ratione ipſum animal, hoc eſt corpus, ſuapte natura atque indole animatum, ortum fuerit, num ab alio aliud naſcatur, id omnino haud curabamus.

Poſtremo autem, ut alia multa præteream, quæro, quo jure aut qua fiducia, iſto modo vitam definire auſus fuerit? Quod ſi, ut olim Pythagoras ille Samius ſilentium ſuis impoſuerit, ut, ipſum dixiſſe, his ſatis eſſe debeat, ſciat genus hominum quoddam eſſe, difficile atque curioſum, quibus illud dixiſſe minime ſufficiat, quique nonniſi rationibus argumentisque adduci poſſint, ut credant. Et profecto, cur non argumenta poſtularemus,

mus, ab iis, qui aliter atque nos ſentiunt, cum ne magiſtrum quidem, niſi ob idoneas rationes credi fas ſit? Verum divina iſta, horum hominum ars eſt, qua tamquam docti rem ſuam atque diligentes patroni, velut ſatis cognita, ſi qua ad rem ſuam facere opinantur, affirmant, nihil tam veri ti, quam ne cauſæ ſuæ diffidere videantur: ubi autem quæ difficiliora occurrunt, ea callide prætereunt, adverſariorumque argumenta magnifice aſpernantur. Verumtamen iſtis ſuis tergiverſationibus neminem, cui paulum cor ſapiat, eludent. Quæ igitur a noſtro dicuntur, ea, quoniam nullis argumentis confirmantur, quaſi non dicta eſſent, exiſtimabimus: Niſi forte, quæ ab alio non minus inepta ſuis, aut ſi fieri poteſt, magis etiam, protulit, ea argumentorum loco habuit. (*) Atque illa quoque, quod nimirum, pariter ac ſua, dicuntur quoque; non probantur, tantumdem æſtimamus. Neque aliter de eo ſentio, quod ineptiarum ſuarum teſtes, eos laudavit philoſophos, quibus ſenſum vitamque aliquam per omnia corpora diffuſam eſſe, placere, credidit. Qui metuo, ne vadimonium detrectent. Igitur, ſi probe illorum mentem intellexiſſet, veritus, ſine dubio eſſet, ea tamquam ſua proferre, quæ tamen ab his toto cœlo differunt. Neque vero, ſi & ſua maxime, & a magnis quantumvis philoſophis excogitata forent, eorum nos auctoritas, ſine argumentis, moveret. Non enim, ne erret, ille ſolus eſt, quem non magna nomina terreant. Denique quid opus eſt teſtimoniis in re minime circa factum aliquid aut rem geſtam verſante? Quod ſi argumenta adhibeat, etiam ſine ullo teſte fidem habebimus, ſine illis vero, ne hos quidem audiemus.

(*) Vid. pag. 114. (32.)

Illud autem nonne ridiculum eſt, hominem, qui, ſi quæ ficta liberius a noſtris erant, ea, non cognita cauſa, vituperat, damnat, explodit; eundem igitur alia eorumdem, non minus ab uſu quotidiano abhorrentia, ſua facere, ſimulatque illud non ſine aliquo fructu fieri poſſe videret? Itaque cum Leibnitio, Carteſio, Malebranchio, Cudwortho, at quantis viris! quos ob nimiam inepte ſomniandi licentiam, alio loco caſtigaverat, (*) in gratiam lubens redibit, ſi paulo etiam ineptius ita ſomniaverint, ut ſomniis eorum ſe, vel ad animum humanum vel ad tollendum Deum, abuti poſſe ſperet. Verum hæc obiter.

Sed quod pæne fueram oblitus, credo, ne argumenta deſiderari poſſent, exempli cauſa, rem protulit clariſſimam omnibusque majorem argumentis. Nempe lac & panem & vinum & ſimilia, ſimul ac comeſa in ſuccumque & ſanguinem converſa in corpus hominis abierint, & vivere atque ſentire incipere, ſibi animadvertiſſe viſus eſt. (**)

O rem ridiculam Cato, & jocoſam,
Dignamque auribus & tuo cachinno!

O igitur & panem & vinum cæteroſque cibos felices, quibus hauſtis devoratiſque vitam ſenſumque acquirere contigit! Quanquam non omnia item. Sunt enim in homine quædam plena laboris & moleſtiarum, ſine ullo voluptatis ſenſu: ut in pedibus manibusque, quos reliquo corpori fere miniſtrare ne-

(*) Vid. pag. 106. (28.)

(**) C'eſt ainſi, que le lait, le pain & le vin ſe changent en la ſubſtance de l'homme, qui eſt un être ſenſible; *ces matieres brutes deviennent ſenſibles, en ſe combinant avec un tout ſenſible.* Pag. 114.

neceſſe eſt. Quanto feliciora illa, quæ in palatum ventremque abierint, ut quæ, ſine ullo laboris ſenſu, perpetuis fruantur voluptatibus. Sed ſentio me evagari. Verum difficile eſt, non jocari, in tanta ridendi copia atque ubertate.

Vt autem jam ſerio agamus, quærimus, cum Cajo pes doleat, num illud Cajum an pedem ejus ſentire putet? Quod ſi pedem dicat, nihil ergo dolor ad Cajum pertinet: Si Cajum, pes quidem ab ſenſu doloris immunis erit. Atqui prius illud, eum ſine dolore eſſe, cujus membra excruciantur, nemini, opinor, tam facile perſuadebit. Poſterius autem, ſi verum fuerit, ſenſum omnino a membris abeſſe clarum eſt. At Cajum dolere atque pedem ejus unum eſt. Igitur nec alius Caji alius pedis dolor, neque diverſus doloris ſenſus, atque ne Cajus quidem & pes ejus diverſi, quoniam plurium non unus eſt ſenſus. Quid autem, cum lumbi doleant, cum ſtomachus, cum manus, cum caput, cum reliqua, an eorum nihil Cajus experietur? Ita certe videtur, cum Caji atque pedis idem ſenſus ſit, pes autem eorum ſentiat nihil, quæ cæteras corporis partes affligunt. At puto, ut pes, ita reliquum corpus omne Caji eſt; neque magis pedis quam reliquorum membrorum ſenſu afficitur. Itaque pedis quidem dolor Caji eſt, ſed ex pede, lumborum vero Caji quoque, ſed ex lumbis, capitis denique Caji verum ex capite, atque ſic porro. Ita quidem rectiſſime noſtri, quibus horum omnium ſenſum placet e corpore ad animum transmitti. Quomodo autem is, qui ſenſum omnem ad corpus referendum putat, dum illa tueatur, ſibi conſtet, ipſe viderit. Diſpeream igitur, niſi jam, velut ille, in veteri comœdia, geminus factus eſt, cum eſſet unus, ita extemplo millies Cajus iſte geminetur. Quod qui miretur, eum rogo, an

unum an plures, ut hoc utar, vitæ ſenſus in homine ineſſe credat. Si plures dicat, nihil diſputabimus; niſi quod nobis unam vitam eſſe unumque ſenſum ſed diverſis modis mutabilem ſancte affirmamus: Si negaverit; at corporis, ut iſti volunt, animati, non unam vitam eſſe, facile argumentis probabimus. Vt enim priora illa retineamus, cum Cajo pes doleat, quoniam noſtro, corpus ipſum, ſine animo, omnia ſentire placet, iſte quidem proprius pedis ſenſus eſt, atque vita: in eoque dolore & pedem alterum & cæterum corpus omne vacare a moleſtia poſſe, nemo dubitabit, niſi idem vino epuliſque non palatum ſolum, verum & pedem digitos magno affici voluptatis ſenſu putet Quod ſi iſtum Caji ſenſum vitamque dixerit, ſive Cajum pedem appellare ſive Sempronium libeat, nihil impedimus. Similiter vero cum capiti reliquiſque membris male ſit, eum nec ad pedem nec ad alterum utrius membri dolorem pertinere, clarum eſt. Quid vero; non ad Cajum? Omnino vero, ſi geminari placeat: niſi autem iſthoc, non magis quam ad pedem. Nam quod dici poſſet Caji reliquorum omnium vita contineri, illud quidem ludere eſt, non philoſophari. Ne enim fallatur, non ut corpus, ex atomis, ita vitam e pluribus unam conglutinari poſſe, ſperandum eſt; quoniam nos unum illud non hominum perverſa opinione, quam philoſophum ſequi turpiſſimum eſt, ſed ratione atque natura judicamus, qua ne corpus quidem ullum unum eſt. Atque iſta quidem omnia tam plana ſunt, tamque expedita, ut non ſemel nobis, hæc ſcribentibus, in mentem venerit, ludi nos ab homine nequiſſimo, niſi major etiam, in tanto argumento ludentis turpitudo foret, quam in clariſſimarum rerum ignoratione verſantis.

Videmus jam hominis levitatem, qui cæterorum aſper-

aſpernatus rationes, ſibi ſoli, etiam ſine argumentis futuram fidem ſperavit. Quod enim de cibo exemplum protulit, id ejusmodi eſt, ut vix ſimilem ſui impudentia invenerit. Atque iſto equidem pretio, ſine magno labore, quidvis me obtenturum confiderem. Et quid de ſequentibus dicam, quæ hoc fundamento nixa, eadem ruina corruere neceſſe eſt? quamvis ne tum quidem non reprehendenda, etiamſi ſenſum, quam maxime, in corpora cadere, conceſſerimus. Quæ omnia porro perſequi, neque inſtituti noſtri eſt, neque otii. Nobis ſufficit illud perfeciſſe, ut pateat, vitam ipſam ſenſumque a natura corporis abhorrere. Quo effecto, tollitur quoque omne illud, quod, inde exorſus, in corpus, ſi fieri poterat, erat translaturus.

Quæ deinde de virium mentis ac rationis, in ſingulis hominibus, diſcrepantia diſputat, quam proinde ac vehementioris hominum appetitus aut averſationes ex diverſa corporum conſtitutione pendere exiſtimat, ea hoc lubentius præterimus, quod, etiamſi vera fuerint, nihil impedire, quo minus ſimplex animi natura & a corpore ſegregata eſſe poſſit, pulcre intelligimus. Quod enim animus a corpore in varios errores induci, atque ad malas perniciofasque libidines atque cupiditates incitari poſſit, atque incendi, id non magis miror, quam aut baculum rectum in flumine detentum incurvum videri, aut quæ per vitrum aſpeximus, mutata vel magnitudine vel coloribus adparere. Quæ omnia, ut tamen oculus videt, ita nihil obſtat, quo minus rerum imagines, quamvis a corpore diverſo modo mutatæ, ab animo percipiantur. Ei qui animum ſejunctum a corpore ante ſuſtulerat, ſi ſibi ipſe conſentire vellet, neceſſe fuit hoc negare. Et conceſſis quidem prioribus, jure negare potuiſſet, ſublatis vero, etiam ultro evaneſcunt.

Hoc igitur eſt, quod eam eſſe viam dixit, qua omnis ad animum ſcientia perveniret. Hunc ſecutus maxime, inter recentiores, Joannes Lockius, vir ſummus, multis eam opinionem firmiſſimis argumentis, confirmavit. Atque tanti viri auctoritate non parum ſe jactat ineptiſſimus homo; illud autem male factum queritur, quod non hac via progreſſus Lockius, quidquid ſimplicium naturarum hominum opinio induxiſſet, totum abjecerit atque profligarit. (*) At neque Lockio, nec eorum cuiquam, qui illum intellexerunt, ejusmodi aliquid in mentem unquam venit. Et nimirum ejus rei gloria illum manebat, qui antea docuiſſet, qua ratione, aut ab igne vita, aut a vino ingenium oriretur (**).

Audiamus igitur, qua ratione ab hoc animadverſum fuerit, quod tot ante eum doctiſſimorum hominum ſolertiam effugerat. Scilicet clariſſimum hoc eſſe putat, nec multa diſputatione egere, ut, ſi omnis cognitio per ſenſus ad animum perveniat, nulla quoque illius rei ſpecies animo obverſari, & ex illo quaſi prodire poſſit, quin ad rem quandam ſenſu perceptam referatur. Quoniam vero, niſi quid concretum ſit, ſub ſenſum non cadat, ergo omnem ſimplicis naturæ falſam & efſictam imaginem eſſe. Satis aſtute, quamvis minus fortaſſe circumſpecte. Multa enim magnaque incommoda ſunt, quibus urgere hominem poſſemus, ſi ſingula perſequi vellemus. Verum longum foret iter ad omnia. Hoc unum ſcire velim, quo ſenſu, ipſe, cui omnia ad ſenſum referenda videntur, juſtitiam, bonitatem, ſapientiam, & quæ his ſunt ſimilia, perceperit. Sin oculis dixerit,

(*) V. p. 179.
(**) V. p. 39. (11.) p. 74 & paſſim.

rit, quæro, quo colore, ſi palato, num dulcia aut amara, ſi cæteris, reliqua. Dicunt enim, ea ſingula, ſingulis ſenſus externi inſtrumentis ſubjecta, nihilque præter ea ab ſenſu deferri ad animum. Pudet, hercle, iſta monere, niſi quod tantæ dementiæ turpitudo, ejus, qui comminiſcitur, non reprehendentis eſt.

Quod autem hæc, niſi de homine, non poſſe cogitari, adeoque ſemper corpori ineſſe exiſtimat, hoc, quale ſit, facile adparet. In homine enim, præter corpus ineſſe nihil, quod illi placet, id fatemur nobis minime ſufficere. Atque ſi ulla alia re, hac certe debebat permoveri, ut in homine, præter corpus, ſimplicem aliquam naturam, concretionis expertem, agnoſceret, quod videret, hæc ejusmodi eſſe, ut a corpore proficiſci omnino neutiquam poſſent. Neque enim ea, velut, quæ ſunt in corpore, omnia, hauſta ſenſibus, percipiuntur, ſed partim ex eorum, quæ interno ſenſu in nobis ipſi deprehendimus, ſimilitudine, partim ex iis, quæ in corpore vident oculi, inſtituta comparatione efficimus. Quid igitur? Tune, inepte, vidiſti umquam in corpore, bonitatem, vidiſti intelligentiam aut virtutem; quas tu negas intelligi poſſe, niſi in iis, quæ ſenſu cuivis licet percipere (*). Virtutem, inquies, omnem agendo cerni, adeoque corporis actione motuque fieri conſpicuam. Beneficum igitur te judicare, qui eſurienti panem porrexerit, atque ipſum hoc, porrigere panem, tibi beneficentiam videri. Ain tandem, hanc beneficentiam? Ergo dabo tibi, qui hominem aut e ligno aut ex ære beneficum faciat, qui propriis momentis ponderibusque panem tibi porrexerit, aut ſapientem, qui dictata ca-

(*) Pag. 191.

calamo notaverit. Et nomen, ſi quæris, & patriam artificis indicabo. Quid igitur crudelem judicas atque inhumanum, qui hominem occiderit, tegulam delapſam tecto, quæ idem fecerit, non judicas? At judicare ſane debueris, ſi, quidquid mali ex corporis actione motuque ortum fuerit, id tibi ſcelus videatur. Nonne vides, omnem vel virtutis laudem, vel vitii turpitudinem nequaquam in corporis actione poſitam, ſed ex animi ſtudio atque voluntate judicari, quæ quidem minime licet oculis intueri? Haec igitur, ſi potes, ubi ubi ſint, oculis uſurpanda mihi exhibe. Negas enim, præter corpora & quæ in corporibus occurrunt, quidquam exiſtere. Quæcunque autem corpori inſunt, ea ſenſus commovent. Atque hæc ne in ſcriptorum quidem plebecula toleranda, quo tandem animo in philoſopho feremus?

Eodemque plane acumine concluſa ſunt, quæ ſequuntur. Quod ſi tanta, inquit, quantam videmus, de rebus ſub ſenſum cadentibus, opinionum eſt diſcrepantia; quid tandem futurum putamus, cum de iis judicare voluerimus, quorum ne ullus quidem ſenſus ſit (*)? Idemne duo cogitabunt, quum ne duorum quidem hominum idem oculi videant? Non ſane videbunt, nec cogitabunt idem omnes. Ecquis autem oculorum lumine caruiſſe maluerit, quod nemo, ſicut cæteri, neque ex omnibus unus, ullam rem talem, qualis eſt, poſſit videre? Aut quis ideo, quia earumdem rerum, non eadem omnibus adparet imago, ipſas res effictas eſſe judicabit? Enimvero ſufficit, ad dijudicandam rerum naturam, convenire in iis, quæ ſunt præcipua, hominum opiniones, ut con-

(*) Pag. 195.

conveniunt profecto. Quid autem attinet, minima quæcunque diſcrimina curare, quæ non in rerum natura, ſed in ipſo vel mentis vel corporis ſui habitu ac ratione ineſſe, quivis facile poteſt pervidere? Atque in plurimis rebus, ſatis eſſe poteſt, ut, quid ſit, ſciamus, quamvis, quale id ſit, interdum fortaſſe ignoremus. Igitur quicunque ædes aliquas aut templum adſpexit, non ſine opificis opere manuque confectum, rectiſſime judicat, quamquam quis aut qualis ille fuerit, omnino neſciat. Erunt quidem nonnulla, quæ ex operis ratione, de illius auctore poſſit conjicere: velut, fuiſſe hominem, fuiſſe intelligentem, nec ſolertia aut artis cognitione ac ſcientia deſtitutum. Et quis ea non ignorans, quæret, num juvenis fuerit, num ætate provectus, num parva ſtatura, num minima, num albus, an ater, & quæ ſunt hujus generis alia? Quidquid enim horum ſit aut non ſit, certe aliquis fuerit. Quæ autem ab aliis ſic, ab aliis alio modo finguntur, aut putantur, ea quoniam efficta phantaſia, non ratione concluſa, nec per ſenſus ad animum tranſlata ſunt, nihil ad naturam rei, cui ineſſe finguntur, pertinent. Sic cum mundi machinam atque deſcriptionem contemplor, taciteque mecum revolvo, non poſſum profecto a me impetrare, ne tanti ordinis originem aliquam auctoremque eſſe credam; & cum qualis ille ſit, in omnibus nequeam conjectura aſſequi, illud mihi certe tenere videor, eſſe eam naturam, longe ſapientia, vique & virtute omni præſtantiſſimam. Quam ſi aliqui ſibi fingunt humana forma, aut omnino corpore indutam aliquo, in eo quidem falluntur, quod mundi auctorem aliquem eumque optimum maximum adorant, in eo falluntur minime. Quod ſi non idem etiam prorſus cogitare dicat, qui rerum omnium

omnium opificem cogitent, meminerit, in nulla umquam re, cujuſcunque tandem illa naturæ fuerit, evenire, ut non ſimilem ſolum ſed eandem, diverſi homines ejus ſibi animo notionem effingant (*). Sed quemadmodum ea ſenſus externi fidem labefactare nequeunt, ita iniquiſſimum foret, propter hanc qualemcunque opinionum discrepantiam, totam rem tollere e medio, Deumque eſſe negare, quod non eadem, Numinis, omnium nec eſt notio, nec poteſt eſſe. Igitur ſi me interroget, cujus, in tanto, non multorum, ſed omnium diſcrimine, de Deo vera, ejusque naturæ maxime conveniens notio ſit habenda, dicam; ſi tamen ille mihi prior dixerit, quis tandem ille ſit, qui in cæteris rebus, ſolus recte videat. Sin vero mortalium nemini hoc contingere dicat, non verebor, idem hominibus de natura Dei cogitantibus evenire, fateri. Atque hanc ob cauſam divinum Numen tollere cupienti, præſto aderimus, quidquam in cæteris rebus verum eſſe negantes. Vnde qua ratione ſe expediat, ipſe viderit. Non eo certe, ſi ſenſum externum eorum, quæ ſunt atque exiſtunt, ſpeciem formamque exhibere dicat, cum contra ea phantaſia, quæcunque pro libidine effićta comminiſcatur. (**) Quis enim pro Deum, phantaſiæ hic locus? An putat Dei notionem, nullo diſcrimine, velut Pegaſi aut Hippocentauri ortam

(*) Des yeux différens doivent voir différement, & donner des idées très variées ſur les objets, même réels, qu'ils enviſagent .... En éffet un homme, n'étant point un autre homme, le premier ne peut pas avoir rigoureuſement & mathématiquement la même notion de l'unité, par exemple, que le ſecond, vû qu'un effet identique ne peut être le réſultat de deux cauſes différentes. Pag. 195.

(**) V. Pag. 198 & 199. & paſſim.

tam eſſe? Cur igitur horum quidquam nemo ſapiens aut credit, aut credidit umquam, cum Deum eſſe, non pars ſolum maxima hominum, ſed & optimus & ſapientiſſimus quisque firmiſſime ſibi perſuadeant? Nempe ideo, quod, cur Deum credant, cauſam vident, ac rationem, cur vero illa credant, vident nullam; id eſt; quod Deum eſſe ratione colligunt, illa phantaſia, prout libitum eſt, fingunt, mutant, diſſolvunt. Niſi igitur ratio ipſa ac fundamentum evertatur, quo niſi homines, Deum eſſe ſtatuerunt, non erit, quod pro ne noſtra timeamus.

Mirabuntur omnes profecto, qui non ignorabunt, quantum ab his & ſimilibus Lockii ingenium abhorruerit, illum a noſtro, tantarum ineptiarum fere teſtem appellari. Quanquam enim, longe ab his abſuiſſe ſummum philoſophum, negare non ſuſtineat, hoc tamen nobis perſuadere conatur, ſuas illum opiniones, ſine dubio amplexurum fuiſſe, ſi, qua primum intenderit, recta via progreſſus fuiſſet. Quid enim, inquit, clarius aut certius, quam ſi nulli ad animum, niſi per ſenſus, iter notioni, quæcunque res ſenſu percipi nequeat, eam omnino nullam habendam? Quod ipſum magno argumento eſſe poteſt, bonum virum, non optime Lockium intellexiſſe. Neque enim ille vel Dei vel cæterarum naturarum, quas ſimplices eſſe ſtatuit, notionem, velut a noſtro factum, ingenitam eſſe umquam credidit, nec de cæteris ita ſentiebat, ut talem eſſe, aut credere deberet, aut omnino poſſet. Igitur quod ab hoc aut non animadverſum, aut prætermiſſum de induſtria fuit, ubi de ſenſu locutus eſt, duplicem illum Lockius intellexit, externum alterum, alterum internum, quo mens ex eorum, quæ apud ſe deprehendit, ſimilitudine, novum aliquod notionum genus adqui-

quirit, diverſum ab illo, quod ab externarum rerum obtutu oritur (*). Quemadmodum enim, ex iis, quæ per externum ſenſum ad animum transmittuntur, imaginibus, intelligitur, quid ſit corpus: ita cum mens ad ſeipſam aciem converteret, naturæ ſimplicis ac ratione præditæ ſpeciem per iſtum interiorem quaſi ſenſum oriri putat (**).

Quæ jam ſequuntur, vel contra hominis in agendo libertatem, vel contra animorum immortalitatem, ea partim, cum iis, quæ ante expugnavimus, & ſtare & cadere ſimul neceſſe eſt, partim ſunt ejuſmodi, ut confutatione haud egere videantur. Et quoniam omnia perſequi, non inſtituti noſtri eſſe, ab initio profeſſi ſumus, ſine mora alterum librum inchoabimus, Supremi Numinis naturam, contra inania ineptiſſimi hominis convicia, adſerturi.

(*) Non alienum videtur, ipſa Lockii verba, legentium oculis ſubjici. Alter fons, inquit, unde experientia ideas in intellectum derivat, eſt *operationum, quæ in mente ſunt, perceptio*, quatenus circa ideas a ſe collectas verſatur; quæ operationes, poſtquam animis eas conſiderate contemplamur, aliud genus idearum intellectui ſuppeditant, quæ a rebus externis oriri non poterant: ex eo numero ſunt, *perceptio*, *cogitatio*, *dubitatio*, *fiducia*, *ratiocinatio*, *cognitio*, *volitio*, atque alii diverſi animorum noſtrorum actus; eorum cum nos ſimus conſcii, ideas æque diſtinctas, ab illis in intellectum recipimus, ac a corporibus iſtis, quæ in ſenſus incurrunt. Hunc idearum fontem unusquisque intus ſe habet & quamvis haud ſenſus appellandus ſit, cui nullum cum objectis externis commercium eſt; illi tamen ſimillimus eſt, & nomine ſatis proprio ſenſus internus dici poſſit. Vid. Johannis Lockii Libr. IV. de intellectu humano. L. II. Cap. I. §. 4.

(**) V. Id. L. II. C. xxiii. §. 15.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS.

Sæpenumero ſum miratus, quibus rationibus, qui, Deum eſſe, negare ſuſtinuerunt, impulſi, non ita ſolummodo ipſi ſentire, verum etiam immanem illum peſtiferumque errorem, iratis ſibi & eo, quod impiis ſacrilegisque vocibus adoriebantur, Numine, & bonis omnibus, in adſpectum hominum atque lucem propellere haud dubitarint. Neque enim cogitanti mihi, eamque rem ſæpe multumque apud animum meum verſanti, ulla umquam, non dicam honeſta, ſed ne probabilis quidem ullo modo cauſa ſubvenit, quam prætexere ſuæ culpæ, aliqua ſi non veriſimili, at digna ſaltem, ſpecie, excuſatione poſſent. Quod enim, ii, qui falſas hominum opiniones erroresque impugnare ſolent, profitentur, ut dicant, ſe bene de hominum genere promerendi ſtudio adductos, eam ſibi operam ſumere; id, tantum abeſt, ut ab his aut dici aut omnino credi poſſit; ut eos ipſos, a nemine pejus communi hominum ſaluti & tranquillitati conſuli poſſe, quam ab iis, qui divini Numinis ex omnium animis fidem ac perſuaſionem ſublatam cuperent, perſentire neceſſe ſit. Quid enim putamus fore, ſi Deum nullum, rerum auctorem atque gubernatorem omnium, nulla virtuti adflictæ toties & proſtratæ, etiam poſt mortem, præmia propoſita, nullas paratas ſceleri pœnas atque ſupplicia, homines ſibi perſuaderent, cum ne ita quidem perverſorum quorumdam furor poſſit coërceri? Equidem, ſi, de quo ita mihi plane perſuaſum eſt, ut haud firmius certiusve vita me hac frui credam, Deum eſſe dubitare umquam

quam poſſem, vel minimam ejus rei cæteris ſuſpicionem movere, religioni ducerem, & qui ſecus facerent, infenſos ſalutis publicæ hoſtes ac turbatores judicarem. Ergo illa mihi ſemper ſapientiſſima poëtæ vox viſa fuit;

Expedit eſſe Deos, &, ut expedit, eſſe putemus.
Dentur in antiquos, tura merumque focos.

Et quid ni, & eſſe Deum & credi, expediat? Nam

Non ſecura quies illum ſimilisque ſopori
Detinet: innocui vivite; numen adeſt.
Reddite depoſitum, pietas ſua fœdera ſervet:
Fraus abſit: vacuas cædis habete manus.

Ejusmodi igitur, niſi præcepta monitaque hominum animos permoverent, atque aures quotidie circumſonarent, triſtiſſimam puto humanarum rerum futuram faciem, omniaque fraudibus, ſceleribus, inſidiis, atque cædibus repletum iri. Neque raro accidit nobis, ut audiremus homines, non certe pravos illos ac deperditos, ſed quales plurimos habere, reipublicæ intereſſet, fatentes, ſe, maxime Dei ſcelerum vindicis opinione atque vitæ futuræ ſpe metuque, a ſtupris, adulteriis & majoribus etiam facinoribus retineri, ſeque ſublatis illis, in omnibus ſibi indulturos, ſuaque ſe commoda, ſuam voluptatem cæterorum hominum vel fortunæ vel ſaluti fuiſſe antelaturos. Quæ quanquam ſuo nomine virtus adpellanda non ſit, quæ coacte & malorum metu præſtatur, atque optimum quemque & ſapientiſſimum, ipſo virtutis amore, a ſcelere atque injuria omni, putemus abhorrere; tamen quod horum longe minima pars eſt, multo præſtat, nobis aliquam, niſi virtutem, at virtutis certe um-

bram atque imaginem relinqui, quam qui ſublatam quoque volunt, quæ ſunt nobis cariſſima, pacem & ſecuritatem non noſtram ſolum, ſed eorum omnium, quibuscum vel vitæ nobis vel amicitiæ conjunctio eſt, nobis erepta velle, cenſendi ſunt. Peſtis eſt hæc quædam atque pernicies, hominum non dignorum, iis bonis, quibus alios privare omni opera atque induſtria ſtudent. Quid enim tandem habent, quo tantarum rerum damnum atque jacturam nobis reſarciant? Scilicet liberabunt nos magno metu, injuſti atque crudelis tyranni. (*) Putes de Phalaride quodam aut Caligula agi. Sed qualis tandem ille eſt? Nempe is, à quo tot tamque præclara bona habemus, admixtis quibusdam malis, quæ in ipſa rerum natura inſunt, is, qui patriam, qui parentes, qui liberos, qui amicos, qui rerum pulcherrimarum uſum atque fructum, qui vitam denique hancce nobis dedit, illam inquam vitam, quam qui miſerrimam plenamque ærumnis tolerent, toties totiesque non ſibi longam ſatis contigiſſe queruntur, nec niſi gravate, & cum mœrore quodam dimittunt. Videant, ne multo majore ſpe, quam metu ab iis privemur. Quanquam ne metu quidem. Etiamſi enim Deum, a quo certe bono timendum nemini, ſuſtulerint, non tollent etiam vel caſum vel fatalem rerum ordinem, quo ut bona ita mala evenire putant, crudeliſſimum dominum, durum, immitem, obſtinatum, nec homini exorabilem ulli. Poteſt enim rerum eadem ſeries atque neceſſitas, quæ naſci me atque vivere in his terris voluit, & nunc me reddere miſerrimum, & aliquando poſt hanc vitam, majoribus fortaſſe, longeque acerbioribus malis affligere. O felicem illum,

— *Qui*

(*) V. Tom. II. pag. 91. & paſſim.

— *Qui potuit rerum cognoſcere cauſas,*
Atque metus omneis & inexorabile fatum
Subjecit pedibus —

Eo igitur metu liberari ante omnia velim, nec poſſum ſane; niſi Dei nutu atque voluntate in terris omnia adminiſtrari credam. Tum enim demum mihi bene eſt, cum rerum cogito moderatorem, patrem hominum, quorum nullum profecto ſuo malo poteſt creaſſe. Quis vero jam ille metus eſt, aut quinam ii homines, quos illo ſe liberaturos pollicentur? Bonorum quidem Dei nullus metus eſt; malorum autem ſi quis eſt, eſt ille juſtiſſimus, & quam maxime reipublicæ ſalutaris, neque is auferri, ſine ſcelere, poteſt.

Ex quo adparet, eam opinionem non tantum nullam utilitatem, ſed plurima maximaque mala hominibus allaturam, nec, qui illam ſpargere ac diſſeminare, vel voce vel ſcriptis ſtudent, ullam culpæ ſuæ veniam impetrare poſſe. Quid ni ſuſpecti ſint nobis tales magiſtri, qui nihil nos docuiſſe, niſi noſtra mala, volunt? Quo enim cunque tandem vel animo vel conſilio fecerint, bono certe feciſſe nequeunt. Habeant iſta ſibi, ſi quidem ita volunt; neque enim invidemus, ſed nos patiantur iidem noſtris frui, neque otium noſtrum aut pacem conentur turbare. Sed nolunt profecto, in eoque animum ſuum nobis haud obſcure produnt. Atque in eo ipſo non parvam puto vim ineſſe, ad diminuendum, ſi quis tamen eſt, aut hujus opinionis, aut eorum, qui illam defendunt, metum atque terrorem. Primum enim, ſi, quod ſub initium ſuperioris libri monuimus, verum eſſe nihil, niſi quod proſit hominibus, nec falſum quidquam, quin noceat, poteſt, quoniam mala ab errore naſcuntur omnia: non certe pro religione ti-

mebit, is, qui quantam illa ad bene beateque vivendum vim habeat, non ignorabit. Deinde vero, non minor nobis ſuſpicio oriatur neceſſe eſt, ex male laborioſa illorum ſedulitate, qui nobis evellere eam opinionem conantur, quæ ſi error eſſet, error certe feliciſſimus, optabilis, ſaluberrimus, is denique foret, quem optimus quisque, propter ſummam utilitatem, jure ſacroſanctum judicaret. Num enim putabimus, eum, quid verum ſit, magnopere curaturum, qui iſto modo hominum ſalutem neglexerit? Mihi vero ita prorſus perſuaſum eſt, horum hominum ſtudium, nec veri amore, nec recondita illa, quam jactant, ſapientia, aut certo & exquiſito rerum judicio contineri, ſed partim ab immenſa licentia, atque impotenti libidine, opinionum novitate percellendi animos imperitæ multitudinis, partim ab ſummæ rerum philoſophicarum ignorantia proficiſci. Quod ut ſic eſſe pateret, jam aliquo modo ſuperiori libro effectum putamus, & nunc altera parte, quæ tota Dei naturam ſpectat, prorſus intellectum iri ſperamus. Atque eo ordine, quem inſtituerat is, cujus librum præ cæteris confutandum elegimus, dicendum primo de Deorum & in genere, & apud veteres origine.

Inter varias philoſophorum, quas, pro ſuo quisque ſtudio aut doctrina, de Deorum origine tuebantur ſententias, non fuit incognita illa neque inuſitata apud veteres opinio, ut propter ſuam primos mortales inopiam, ſummumque malorum, quæ evitare non poſſent, metum atque terrorem, naturas quasdam ſeſe multo vi ac poteſtate præſtantiores, finxiſſe, exiſtimarent, a quibus mala homini plurima maximaque imminere ſibi falſo perſuaderent. Peperit iſtam, inquiebant, immenſam Deorum multitudinem primorum hominum formi-

do

do & ignorantia, qui rudes adhuc, needum naturæ ſecretis imbuti & veras rerum cauſas neſciebant, & quidquid magnum, terribile, factum denique præter conſuetudinem videbatur, nonniſi ab excellentiori natura proficiſci poſſe opinabantur. Namque

Primus in orbe Deos fecit timor; ardua cœlo
Fulmina cum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis
Atque ictus flagraret Athos.

Hinc Pythagoram Samium, præter cæteros, accepimus, tales errores confutaſſe, veroſque rerum cauſas & originem aperuiſſe. Is enim

—— magni primordia mundi,
Et rerum cauſas, & quid natura, docebat;
Quid Deus, unde nives, quæ fulminis eſſet origo;
Juppiter, an venti, diſcuſſa nube tonarent;
Quid quateret terras; qua ſidera lege mearent;
Et quodcunque latet.

Eam igitur opinionem, acceptam ab antiquis, recentiores nonnulli, velut a noſtro factum, ſummo ſtudio exornaverunt, quod in ea non parum ſibi præſidii futurum, ad tollendum Deum exiſtimaverunt. Et cum rem ſibi optime cedere vidiſſent, quid reſtabat, niſi ut clamorem cum tripudio tollerent, & religionem per triumphum ducerent? Plaudant vero ipſi ſibi, & io triumphe clament, atque ingeminent io triumphe: non enim invidebimus ipſis hanc lætitiam, quæ certe non erit diuturna. Eo graviori tædio afficientur, cum animadverterint, de hoſte, nondum devicto, ſe triumphaſſe.

Quid igitur ad nos pertinet, timorne primum

Deos an alia cauſa fecerit? Scilicet hoc, puto, nos docebit, quid ſentiendum de iis naturis ſit, quas veri ignorantia atque error progenuit. Quaſi vero, cum Deum eſſe contendimus, illam ipſam, propter quam primum cauſam, Dii crediti ſunt, probaremus, nec quare ſic ſtatuamus, noſtras ipſi rationes adferre poſſemus. Num, quidquid errore creditur, a nonnullis, ideo damnandum? Imo tum demum falſum judicandum, ſi argumentis nullis veris, poſſit confirmari. Sed Deum eſſe, non ſola vetuſtas credidit, verum & philoſophorum multitudo probavit, repulſa vulgari hominum opinione. Qui ſi erraverint ipſi, non ex iis, quæ ut falſa rejecerunt, ſed ex ſuis judicandi ſunt. Eorum autem, ſi argumenta refelli poſſunt; vulgi opinionem inſectari non neceſſarium, ſi non poſſunt, inutile & ridiculum.

Verum paulum adcurate Deorum originem expendenti, adparebit, quæ cauſa fuit philoſophis, ut Deum eſſe crederent, eandem & cæteros primum homines permoviſſe, ut tantam Deorum turbam facerent. Nempe quod docent philoſophi, & natura quivis facile poteſt perſpicere, nullum eventum carere cauſa, illud & initio Deorum opinionem peperit, atque poſtea confirmavit. Quid enim? Putemus ullo tempore homines tam tardos fuiſſe, ut cum rerum omnium admirabilem ordinem ac deſcriptionem viderent, numquam in iſtam cogitationem inciderint, eſſe naturam aliquam, vi cæteris rebus omnibus & ſapientia præſtantem, cujus nutu atque arbitrio hæc omnia fierent? Aut credemus quotidiano uſu ita his poſſe aſſueſcere hominum animos, ut numquam, cur iſto modo fierent, cauſas & rationem perquirerent? Quid cum terrarum magnitudinem, cum marium, fluminum, montium ac ſilvarum varietatem, cum arborum, plan-

plantarum atque animalium multitudinem, figuras & uſus, cum aëris atque cœli temperaturam, dierumque & noctium & annorum viciſſitudines, cum

Cœlum miteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificas pampinis pubeſcere,
Ramos baccarum ubertate incurveſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcateſcere, herbis prata conveſtirier,

Ea igitur omnia, cum ſic eſſe atque fieri perſpicerent: tum ſi vultum attollerent, vaſtumque & immenſum cœli ambitum, ſi ſolis orbem flammas atque curſum luce colluſtrantis omnia & calore foventis, ſi lunæ candorem ſtellarumque numerum & converſiones eſſent contemplati, numquamne tantarum rerum adſpectu fuiſſe commotos; nec quid ſit illud, quod tantos motus efficiat, cogitaſſe dicemus (*)? At certe is, qui hæc omnia ſine admiratione cerneret, non ille homo foret; cui Deus

Os — ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Sentiat profecto homo, etiam nulla religione imbutus, non naturales iſtos motus eſſe, neque natam ſuopte pondere, corporum conſpirationem. Vim illam divinam eſſe putabit, quæ omnia regat

(*) Ἀριστοτέλης ἀπὸ δυοῖν ἀρχῶν ἔννοιαν Θεῶν ἔλεγε γεγονέναι ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἀπό τε τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων, καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων. Θεασάμενοι γὰρ μεθ' ἡμέραν μὲν, ἥλιον περιπολοῦντα, νύκτωρ δὲ τὴν εὔτακτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα Θεὸν τὸν τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ εὐταξίας αἴτιον. Sextus Empiricus, contra Phyſicos l. 2.

gat & moderetur, aut penitus inſidentem in ſingulis, aut per omnia diffuſam. Ergo totum mundum venerabitur, ut Deum, aut ea, quorum motus perennes, & efficientiam fuerit expertus, æthera, ſolem, lunam, ſtellas, maria, atque flumina adorabit, novisque honoribus ſibi conciliare ſtudebit. Itaque Cleanthes, graviſſimus Stoicus, Cicerone teſte, æquabilitatem motus, converſionem cœli, ſolis, lunæ, ſiderumque omnium diſtinctionem, varietatem, pulcritudinem, ordinem, e quatuor cauſis maximam putavit, cur in animis hominum informatæ eſſent deorum notiones. Sed ut maxima, ita prima quoque fuit; quod teſtatur vetuſtiſſimorum populorum memoria & antiqua religio.

Videmus, quæ cauſa primum Deos crearit, & naturalis illa maxime, & philoſophis cum imperita multitudine communis. Judicaverant homines, & quidem rectiſſime, tantos motus ab aliqua cauſa oportere proficiſci: in eo autem lapſa eſt rudis vetuſtas, quod non hæc naturæ, ab his diverſæ, tribuit, ſed ipſa illa corpora atque mundum hunc omnem conſecravit: verum ita lapſa eſt, ut poſtea etiam philoſophos ſocios comitesque erroris habuerit. Unde pervulgata ſunt illa,

Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem

Atque

Vides ſublime fuſum — æthera,
Qui tenero terram circumjactu amplectitur;
Hunc ſummum habeto divum; hunc perhibeto Jovem

Et quæ Maro ex mente Stoicorum cecinit,

Prin-

Principio cœlum ac terras camposque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit.

Eademque cauſa, ut alios prætercam, perduxit Ariſtotelem, ut quandam ſideribus ineſſe putaret, quaſi intelligentiam ac voluntatem, quod eorum motus minime naturales, ſed arte ac ratione deſcriptos eſſe videret (*). Sed illuc revertor.

Cum igitur mundus ejusque partes primum Dii creditæ ſint, neſcio, quid ſibi velint, qui malorum metu atque terrore primum Deos ortos fuiſſe dicunt. Ergone omnia hæcce mala homini minantur? Motibus contremuerit terra, vaſtoque hiatu antra domosque cum hominibus devoravit: inundaverint flumina atque maria amplas regiones; quid vero cœlum, quid ſolem, quid lunam, quid ſidera dicamus commeruiſſe, ut conſecrarentur? Eorum enim vim, neſcio, an umquam noxiferam, at certe ſæpiſſime gratam homines atque ſalutarem ſibi experiuntur. Neque vero illa, ſive ſingula, ſive univerſa, prima mala fuerunt, quæ homines affligerent. Sed ſi malorum ſenſus Deorum opinionem progenuit, prima quæque proximaque hominibus primos Deos creaſſe putanda ſunt. Primi ergo illi debuerant eſſe, qui morbos homini atque interitum afferunt, primi feræ beſtiæ a quibus rudibus adhuc hominibus necdum ad vitæ communitatem congregatis, ſatis multa pericula imminebant. Parumne igitur hominum generi ex animalibus moleſtiæ, nec digna ſatis divinitatis honore peſtis? At contra ſatis ſibi commodi ex iis percipere homines viſi ſunt. Conſecraverunt enim

(*) Vid. Cicero de nat. Deor. L. II.

enim animalia multa propter utilitatem (*). Vbinam ergo ille metus, qui primum Deos procreavit? Nempe, quocunque oculos convertimus, ibi nec malorum metum neque terrorem, ſed naturæ rationem, ordinem, pulcritudinem, ſed magnitudinem commodorum (†), ſed orbis, cœli, atque ſiderum admirationem, in creandis Diis ducem hominibus atque miniſtram extitiſſe videmus. Idque ita in promtu eſt, ut ſimile quidpiam, alibi noſtro, nec volenti de ſole excideritt. Hunc enim a populis quam plurimis cultum ſine dubio fuiſſe, ait, propter admirabilem ejus vim, qua vitam per omnia atque vigorem diffundere videatur (††). Quid? quod ipſe, inter cætera, ortum aſtrorum & occaſum, primum homi-

(*) Ægyptii nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent conſecrarunt &c. CICERO de Nat. Deor. L. 1.

(†) Idem plane, de Deorum, apud veteres, opinione, Prodicum Ceum judicaſſe, Sextus Empiricus auctor eſt. Quam opinionem, Sexto, philoſopho cætera ſatis acuto, diſplicuiſſe, quod non putaret, ita veteres ſanam rationem prorſus abjeciſſe omnem, ut non ſidera tantum, verum & flumina atque lacus & ſimilia, quæ partim occidere atque interire ſuis oculis cernerent, partim combiberent ipſi atque diſſolverent, Deos eſſe ſibi inducerent, maximopere miror. Primum enim non magis qui primum dii, quam cur habiti ſint, Prodicus exponit, deinde vero ea omnia divinæ naturæ a vetuſtiſſimis populis fuiſſe credita, certius conſtat, quam ut in dubium vocari poſſit. Neque luculentius ejus rei ullum teſtimonium, ſi tamen teſtimonio in tali re uſus, Heſiodi verſibus iſtis:

Εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ ϗ γαῖα γένοντο,
Καὶ ποταμοὶ, ϗ Πόντος ἀπείριτος οἴδματι θυίων,
Ἄστρα τε λαμπετόωντα, ϗ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,

ex Theogonia vs. 107.

(††) Vn grand nombre de nations ont adoré le ſoleil; les

minum oculos in ſe convertiſſe putat, ut quorum motum naturalem & quaſi inhærentem homines viderent, ea propria quadam virtute, atque inſita quodammodo voluntate moveri exiſtimarent (*)? Quæ quomodo cum iis poſſint conciliari, quæ antea ſummo ſtudio defenderat, ipſe viderit (†). Nos niſi magnum malum ſit, aſtra & in cœlo eſſe, & conſtantes motus conficere, intelligere non poſſumus. Dixerat enim in malis homines primum Deos inveniſſe, nec ſine iis, de Numine umquam fuiſſe cogitaturos.

Ex paucis igitur his, quæ attulimus, puto perſpicuum eſſe, neque vanam adeo, neque abſurdam ab ſana ratione, ut credidit, Deorum apud antiquiſſimos populos originem fuiſſe. Quanquam, etiamſi foret, res ipſa minime ſtatim abjicienda videretur. Adſunt enim ii, apud quos, ut Numen aliquod putarent eſſe, rerum cauſam atque originem, non timor valuit, ſed perſuaſio, ab argumentis profecta. Quod cum non ignoraret is, qui, quidquid hominum religio ſanxit, odio proſequitur, jam tela ſua in rei ipſam naturam convertit. Atque niſi vanum ejus augurium fuerit, magna, rei noſtræ clades, magna, inteſtina diſſenſione nata pernicies imminet, noſtriſque ipſi cæſi vulneribus procumbemus. Non enim ſolum

ea

les effets ſenſibles de cet aſtre, qui ſemble donner la vie à toute la nature, devoient naturellement porter les hommes à lui rendre un culte Pag. 197. (45.)

(*) Le Lever & le coucher des aſtres, le retour périodique des ſaiſons . . . . furent des objets propres à les faire penſer. Ils durent naturellement croire, que des êtres qu'ils voyoient ſe mouvoir d'eux mêmes agiſſoient par leur propre énergie. P. 28 & 29.

(†) S'il n'exiſtoit point de mal, dans ce monde, l'homme n'eut jamais ſongé à la divinité. P. 4.

ea omnia, quæ Deo tribuimus, falſa & inania eſſe, verum & ſingula tollere ſeſe, aliisque alia repugnare oſtendet.

Duplicis autem naturæ putat eſſe, quæ de Deo dicuntur. Nam modo removeri, ab eo, quædam eorum, quæ inſunt, in hominibus, modo tribui alia, ſed tamen tanta quanta in hominis naturam non cadant. Illa hujusmodi putat: Deum eſſe infinitum, æternum, neque mutationi ulli aut viciſſitudini obnoxium, denique ab omni concretione liberrimum. Poſterioris autem generis illa eſſe; cum intelligentem dicimus, cum ſapientem, cum bonum, cum juſtum, cum rerum ſcientia, atque potentia inſtructum. His igitur, quoniam humana ſint, hominem Deum fieri, illis vero rem auribus atque animis ſanorum hominum abſurdam exiſtimat. Cur vero exiſtimat? Quia cum Hobbeſio, aliisque falſo ſibi induxerat; quidquid non finibus circumſcriptum ſit, nihil eſſe: quia non intelligit, quomodo ulla res movere alia atque mutare poſſit, niſi ipſa mutetur: quia tandem earum rerum, quæ exiſtunt, nullam corpore putat carere.

Equidem haud exiſtimo, quid ſit infinitum, ullum eorum, quos ea vox offendit, intellexiſſe. Sono enim externaque forma decepti, ei aliquid deficere, vel potius deeſſe omnia crediderunt, quod infinitum diceretur. Verum aut ego, quid ſit finis, ignoro, aut ipſam inopiam aliquam atque defectum ſignificat. Excludit enim rei incrementum & quaſi progreſſum. Nam tolluntur fines aut certe removentur, quoties ipſa res augetur. Ex quo perſpicitur, fines quidem ipſos minime ulli rei ineſſe, quia nec usquam illud eſſe poteſt, quod nihil eſt, ſed, cum finis adeſſe dicatur, illud intelligi, omne incrementum ulterius abeſſe. Itaque qui negat fieri poſſe, ut quidquam ſit infini-

finitum, hoc dicat, neceſſe eſt, pugnare, ullam rem eſſe, ejusmodi, ut nihil ipſi deſit. Pugnare vero nonniſi dicuntur illa, quæ natura contraria ſunt, ut conjungi omnino nequeant. Ecquid ergo rerum, in genere, natura habet, quod ab ſumma perfectione & quaſi abſolutione abhorreat? Quod ſi, cui omnia deficiunt, nihil eſt, adeoque naturæ rei inimicus & contrarius defectus omnis, certe intelligi non poteſt, quomodo ipſum illud eſſe aliquid deſineret, a quo defectus abeſſet omnis.

Hic autem negant ſe illud, quod ſit infinitum, animo poſſe comprehendere. Quaſi vero ullum hominem id poſſe contenderemus, aut quaſi hoc adeo neceſſarium eſſet. Quousque tandem hi homines, ea, quorum modum ac rationem ignorant, confundent cum iis, quæ propter repugnantiam cogitari non poſſunt? Quæ ſi eadem forent, naturam certe ipſam atque experientiam, cui tantum tribuunt, falſam ſæpiſſime & mendacem deprehenderent. Cum enim ego me ſentire atque cogitare experior, qua ratione id fiat, & ignoro ipſe, neque ulli explicare valeam, atque cedo mihi hominem, qui illud poſſit. Sed nolo illum, qui vitam & ſenſum tum in corpore oriri dixit, ſi hoc ita ſit compoſitum & conſtitutum partibus, velut eſſe corpus oportet, aptum & conveniens animantis naturæ (*). Næ enim iſte nimis ingenioſus eſt, nimis multa perſpecta habet atque explorata, quæ cæteri homines nequeunt intelligere. Multa ſunt atque innumerabilia fere, quæ eſſe atque fieri, nemo poſſit negare, quamvis, qua ratione aut ſint aut fiant, perſpiciat nemo. Sed neque longe quærenda, quibus adverſarium noſtrum in errore verſari oſtendamus, res enim ipſa, atque aperta illius confeſſio docebit; ſi tamen is

er-

(*) V. Tom. I. p. 114.

error potius appellandus fuerit quam contumacia. Nempe idem ille homo, qui ſolus ſibi recte ſapere videtur, qui cæterorum ſtultitiam irridet, quod præter ſonos atque voces deſtitutas mente, aliquid ſe proferre, putent, cum Deum ſuum infinitum atque æternum prædicent, idem igitur mundum haud dubitat æternum dicere, neque videt ipſum ſe ſtultitiæ deriſæ auctorem fieri. (*) Nam ſi naturam Dei, propterea, quod hæc illi tribuimus, abhorrere ab ſana ratione judicat, in mundum ſimilia conferentem, eodem incommodo urgebimus; donec aut hunc ortum fateatur, aut Dei notionem, non certe, ideo, quod æternum dixerimus, pugnare conceſſerit. Quo ſemel effecto, de cæteris non valde laborabimus. Si enim Deus æternus, certe infinitus tempore, vel potius perpetuitate, qua ſi fine carere poteſt, cur ſapientia, cur bonitate, cur vi atque virtute omni non poſſit? Quanquam illam vocem, ſi tantum horum hominum aures offendat, tollant omnino. Deum ſi infinitum dicere nolunt, per nos licet, optimum, maximum, ſapientiſſimum, illum denique dicant, in quo omnes virtutes bona omnia inſint ſumma atque abſoluta,

Unde nil majus generatur ipſo,
Nec viget quidquam ſimile aut ſecundum.

Nihil enim certe, infinitum Deum prædicantes, niſi hoc volumus intelligi. Quod ſi præterea nonnulli infinitum & quaſi immenſum ſpatio fecerunt, ii, ut ſunt diverſa hominum ingenia, variæ opiniones, ac ſingulare cujusvis judicium, ſuis ſibi ocu-

(*) V. Tom. I. pag. 29. & Tom. II. p. 168.

oculis vidiſſe, remque ſui periculi feciſſe, cenſendi ſunt. Sed ut non neceſſaria illa opinio, neque omnium eſt; ita inquiſſimum atque hominis certe, non optima cogitantis, illam in rei ipſius invidiam atque detrimentum adducere, & nonnullorum culpam in omnes diffundere. Neque enim ejusmodi illa ſunt, ut Deum credere, niſi qui his aſſentiatur, non poſſit. Si quis ergo me interroget, num Deum putem, in rerum omnium connexione minimum ſpatii locum, & quaſi puncti inſtar obtinere, ex quo, velut hominis, corpore coacta, mens, ſingularum rerum mutationes aut experiatur, aut quod ſummæ rationis eſt, prævideat, & ad univerſa vim ſuam extendat; num præſentem adeſſe omnibus, cuncta permeantem & per ſingula diffuſum; num denique mundum omnem, vaſtumque terrarum ambitum coercentem circumplecti, certe minime pudebit, fateri, me horum omnium nihil ſcire. Quapropter irrideat aliquis, ſi voluerit, eorum arrogantiam, qui cujusquam hominis de his exiſtimant judicium eſſe, nequicquam enim irridebit, quando parum refert, ubi Deus ſit, noviſſe, ſi modo eſſe, certa ratione adpareat.

Quid autem? Illud jam quale dicemus eſſe, quod intelligentia, quod bonitate, cæterisque, quæ in divinam naturam conferuntur virtutibus, Deum hominem fieri exiſtimat (*)? Miſerum eſt, eum, qui ſe ducem hominibus errorisque & igno-

(*) Malgré tous leurs éfforts les Théologiens furent, & feront toujours des *antropomorphites* — En éffet l'homme dans ſon Dieu ne vit & ne verra jamais qu'un homme; il a beau ſubtiliſer, il a beau étendre ſon pouvoir & ſes perfections, il n'en fera jamais qu'un homme gigantesque &c. T. II. p. 43. conf. p. 64 & 195.

ignorantiæ depulſorem profitetur, non minus quam cæteros errare; at primas queque ſcientiarum lineas ignorare, longe miſerrimum. Itaque philoſophum noſtrum in ludum ablegabimus, ut ibi diſcat, quid genus, quid formam efficiat, quæ rebus inter ſe communia dicantur, quæ ſingularia. Certe ſi, quæ in homine inſunt, ea ſingula conſtituunt hominem, latiſſime quidem illa natura patet: & ſi his virtutibus, propterea quod in homine iſtarum aliqua reperitur ſimilitudo, Deum hominem fieri, ſemel aliquis dicere ſuſtinuerit, jam veniat, qui quidquid corpus habeat animatum, jam qui quidquid omnino corpus, hominem dixerit. Ita fiet, ut non tantum brutis animalibus, ſed quovis ligno aut lapide humanum genus augeatur.

Prope eſt, ut pigeat, de iſtis quidquam omnino dixiſſe. Sive enim ita intelligenda, ut verborum ratio atque ſenſus fert, ita puerilia ſunt & inepta, ut non correctionem ſed riſum mereantur; ſive ita explicanda, ut Deo nonnulla cum homine communia eſſe dixerit, certe rem dixit, quam ſanus nemo umquam inficiabitur. Deum intelligentem dicimus, hominem non deſtitutum ratione. Quid tum? Ergo humana Deo tribuimus? Immo divina homini, niſi quod ratio, quæ non perfecta ſit & abſoluta, divina dici, aut humana, quin circumſcripta finibus, non poteſt. Atque idem hoc de bonitate, de juſtitia, cæteriſque, quarum quamdam in homine ſimilitudinem & quaſi umbram deprehendimus, divinis virtutibus valet. In quibus omnibus, quid Deo commune ſit cum homine, quid ſingulare, adparet. Atque eorum, quid hominem poſſit jure offendere, ignoro. Veruntamen ſi offendant, dicat velim, num magis placeat Deus intelligentia carens. At certe ſcio; ſi

ſi talis eſſet noſter Deus, ludificandi neque modum futurum umquam neque finem. Re, cui nec ratio ulla ineſſet, nec ordinis ſenſus ullus aut ſcientia, mundum univerſum regi, & inani, ſine mente, corpori originem debere, ſubjectaque eſſe, non ſolum, quæ ejusdem ſint naturæ, verum & ea, in quibus rerum pulcerrima ratio emineat. Et hæc quidem recte dici, quis poſſit negare? Nunc autem, cum Deum iis virtutibus ornamus, quibus perfecta natura carere certe non poteſt, hominem, inquiunt, non Deum facitis. Hominem vero, ſi, quicunque ratione utitur, vobis homo eſt, ſed tamen ita hominem, ut animantia, præter hominem, cætera, in quibus pariter ac in homine ſenſus ineſt, atque vita. Sed quæſo, vultisne eorum, quæ ſunt in cæteris rebus, nihil prorſus in Deo eſſe? Ita ne eſſe quidem omnino potuerit, quod ita quodammodo ſimilis eorum omnium fieret, quæ exiſtunt. Quo pacto, ad tollendum Deum facili via magnoque compendio utimini. Quid autem calumniam dicemus eſſe, niſi hæc eſt? Verum quid multa? Quæ cauſa homines permovit, ut Deum eſſe putarent, eadem certe effecit, ut haſce virtutes in illum conferrent. Mundum neque æternum exiſtimaverunt, neque ortum ſine auctore. Hunc vero ſapientem dixerunt, quod mundum ſummo ordine & ratione fabricatum, bonum, quod ad omnium animantium inprimisque hominis uſum viderent accommodatum: Similique ratione ex cæteris reliqua judicaverunt. His igitur omnibus ea tribuere nomina, quæ ſimilium virtutum imitatio hominibus comparat. Quæ ſi in Deo minus cuiquam placeant, nova, ſi velit, ipſe comminiſcatur. Nos quia ab hominibus volumus intelligi, humana utimur lingua. Nimis fortaſſe diu videbimur rei mi-

nime, gravi, atque aptiori ad jocos quam ad diſputandum immorati. Sed & movebat animum rei novitas, nec, ſi doctioribus ſupervacanea omnis diſputatio, non neceſſaria item philoſophandi imperitis viſa fuit. Plerique enim adverſarii audacia perculſi aliquando leviſſima extimeſcunt, eaque neſciunt explicare, quæ conceſſa ſibi victoriam atque alteri confuſionem afferrent.

At, ſi hæc inepta, illa certe profligata & quotidie fere uſurpata ab impiis, quæ contra ipſas Dei virtutes profert. Maxime autem adoritur bonitatem, quam in Deo ſummam ineſſe dicimus. Illum enim optimum haud eſſe exiſtimat, qui tot mala in mundum, quot & quanta videmus, intulerit. Quid, inquit, nonne Deus auctor rerum omnium? Nonne igitur dolores podagræ, nonne ardorem febris cogimur referre ad Deum, rerum auctorem atque originem omnium? Quid, fames? Quid, contagiones? Quid, bella peſteſque omnes, quæ devaſtant humanum genus? Quid, cum doloribus excrucior vehementiſſimis? Quid, cum afflictus inopia & morbis langueſco? cum gemo ſervitute oppreſſus, ubinam tum tanta Dei bonitas? Quid, cum Principum vel negligentia vel perverſitas patriam cumulant miſeriis, cum ſterilitatem humo, cum genti vaſtitatem afferunt, ubinam Dei bonitas? Quid, cum terribiles motus atque viciſſitudines, cum inundationes, cum tremores terræ & conquaſſationes magnam hujus orbis partem evertunt, ecquid evaſit Dei bonitas, ecquid pulcerrimus ordo, quem tanta ſapientia inſtituit? (*)

Ad ea igitur omnia, paulum ſub tanto malorum onere prius reſumentes ſpiritum, ſic reſpondemus

(*) V. pag. 66.

dimus. Miſeri eſtis, fatemur, vos, qui iſtis afflicti malis ingemiſcitis. Quanquam, qui plurimum ingemiſcunt, raro miſerrimi. Miſeri eſtis, neque enim, noſtra nos celaſſe mala, quidquam profuerit. Et miſeret veſtri, & ſortem, ſi fieri poſſit, meliorem vobis precamur, & eſt certe Deus nobis, qui miſeris ſuccurrere velit. Sed quid vobis fieri velitis, loquimini ipſi. Vultisne Deum mutare rerum naturam, & ſuſpendere leges, quas ſumma ſanxit ſapientia? Vultisne corpora neque motu ſibi, neque rerum cauſas conſtare efficientia, ſed omnia fieri atque moveri, ut vobis commodum fuerit? Non ferri præcipitem elevatum lapidem, non urere ignem admotum, non opprimi labentis tecti ruina, qui propius acceſſerit, non conſumi ardore febris, non frangi dolore podagræ, qui nimium ſibi, voluptatum illecebris captus, indulſerit? (*) Ferreum vultis corpus, quod & aëris injurias ſpernat, neque debilitari doloribus poſſit? At quæſo, ſatiſne vobis exploratum, fieri poſſe, quod vultis? Tum autem, num animi ſatis, ſpernere eas voluptates, quas tanti facitis, quaſque fortaſſe modo humana fragilitate re-

(*) Pouvons nous ſuppoſer, qu'un Dieu ſage, juſte & intelligent changera ſon plan pour nous? Vaincu par nos prieres, & nos hommages ſerviles, reformera-t-il, pour nous plaire, ſes arrêts immuables? Otera-t-il aux êtres leurs eſſences & leurs propriétés? Abrogera-t-il, par des miracles, les loix *éternelles* de la nature? Fera-t-il, qu'en notre faveur le feu ceſſe de brûler, quand nous en approcherons de trop près? Fera-t-il, que la fièvre ou la goutte ceſſent de nous tourmenter, quand nous aurons ammaſſé des humeurs, dont ces infirmités ſont les ſuites neceſſaires? Empechera-t il qu'un édifice, qui tombe en ruine, ne nous écraſe de ſa chûte, quand nous paſſerons à côté de lui? p. 213.

redemiſſe volueritis? Non vultis flumina evagari, neque inundare magnas regiones, non terram motibus abſorbere totas gentes? Scilicet magnum malum ducitis, parvam hominum manum, quos ad mortem natura genuit, talem vitæ exitum invenire, atque pejus putatis, iſto modo perire, quam aut morbo aut confectum ſenio mortem oppetere? & cum nemo veſtrum putet male factum, ſi muſcam aut vermiculum conculcaverit pede, naturam vultis unius morte homunculi perhorreſcere omnem. At videtis, torquet ſeſe quoque ille, atque obluctatur, neque vitam jucundam minus, quam veſtrum aliquis putat. Sed non dolet miſerrimæ beſtiolæ caſus, vos adeo non pudet, dierum & horarum rationem ab ſummo rerum auctore atque domino exigere. Non vultis inopiam usquam eſſe, non bella, non cædes, cum cæco furore ipſi in veſtra viſcera ſæviatis? Non labes neque contagiones, cum maxime vos ipſi, immanibus bellis atque ſtragibus materiam peſti atque alimenta præbere, non umquam deſinatis? Ecquod malum, quæ peſtis eſt, quæ non homini ab homine immineat? Quidni ergo, inquitis, meliores nos Deus fecit aut ſapientiores? Non etiam rogabitis, cur non quemvis veſtrum regem fecerit? Sed, puto, videtis, ſine plebe regibus locum non eſſe. Nonne in ædificiis ea quisque cæteris præfert, quæ non tantum ad uſum vitæ atque neceſſitatem ſunt accommodata, verum & ornata ad ſpeciem & pulchritudinem? Neque vero non & cætera uſus poſtulat, ut atrium, ut impluvium, ut latrinam, & quibus carere domus omnino non poteſt. Quæ omnia ſi cogitare poſſent & eloqui, certe ſingula artifici, cur ſe talia fecerit, exprobrarent. Vos eadem facitis, cum ignoratis, num rerum connexio hominibus indi-

geat

geat, nec inter homines ſapiente ſolum, verum & ſtulto. Videte, ne earum rerum inepti fiatis reprehenſores, quas vos minime intelligitis. Verum quidquid eſt, forti animo ſuſtinete. Vita ſi malum, malum certe breve eſt. Jam aderit finis laborum, jam mors tollet ærumnas, jam diluet malorum veſtigia, jam vobis adferet requiem toties optatam illam fruſtra. Quid igitur? Ne hoc quidem placet? Usque obnitimini? Non vultis? Vitam hanc, a qua, dum illa fruebamini, nulla querela abſuit, nulla vituperatio, eandem igitur vitam, plenam miſeriis & moleſtiarum dimittere, malorum omnium judicatis ſummum eſſe, atque remanere in hoc infortunii omnis domicilio, ultro, cum excedere liceat, vultis? Quæ, malum, iſthæc inconſtantia? Vita ſi optabilis eſt, ne lamentamini, ſi moleſta, ne lugete, cum vobis porta recluditur!

Hæc igitur aut ſimilia ſi quis diceret hominibus, nulla doctrina informatis, certe, opinor, ſe erraſſe faterentur, neque dehinc auctorem mundi eorum accuſarent, quæ partim ſibi ipſis, partim æternæ atque immutabili rerum naturæ oportere tribui cernerent. Attamen in his leviſſima culpa eorum, qui iſto lumine carent, ſine quo rerum nullum judicium rectum neque diſcrimen. Illos vero, quos ratio atque ſaluberrimis referta præceptis philoſophia docet, conſtanter ferre dolores malaque omnia, nonne pudeat primos omnium querelis cœlum fatigaſſe?

Hæc de bonitate Dei: Nunc de juſtitia & clementia. In quibus ita noſter verſatus eſt, ut facile adpareat, illum aut non ſatis noſtra intellexiſſe, aut, quod pejus eſt, eorum, dedita opera, ignorantiam ſimulaſſe, quorum, ſine magno labore, ſenſum potuiſſet evolvere. Ac ſtatim qui-

dem miror, unde ſciat, Deum a nobis juſtum dici, cum injuriarum ſibi illatarum pœnam a noxiis repetat. Equidem haud memini juſtum appellari, qui privatas injurias ulciſcitur. Sed juſtum judicem dicimus, qui nullius delicti, ulli homini gratiam faciat, verum ſontes pro criminis ratione ac magnitudine puniat. Atque ut in eo non hominis ira aut inimicitia, ſed odio ſceleris atque virtutis amore duci oportet, ut a vitiis malos abſterreat: ita ab hujus rationis ſimilitudine Deum juſtum nominamus, quod illum, propter ſummum virtutis amorem, jam ad eam præmiis allicere homines, jam revocare a vitio pœnis aut quovis alio modo credimus. Quam ſi aliquis juſtitiam dicere noluerit, vel innocentiam, vel ſanctitatem vel tandem amorem virtutis appellabit. Dum enim de rebus conveniat, non altercabimur de vocabulis.

Quod ſi vero, ut nonnullis videtur, juſtitiam, ſapientia temperatam bonitatem eſſe dicamus, eo magis etiam adparet, cur illa virtus Deo a nobis tribuatur. Et eſt certe, in Deo maxime, juſtitia, quæ bonitatem regit ac moderatur: quanquam bonitatem ipſam, aut ejus partem aliquam & formam, equidem haud dixerim. In quo etiam illud peropportune accidit, ut hæc virtus ipſa habeat aliquam excuſationem bonitatis & eorum malorum, quæ tanto perverſorum rumore ac vocibus feruntur. Ita nempe clarum fit, illa, quæ ſæpiſſime mala videntur, juſto nomine bona adpellari, nec, niſi noſtra ipſorum maxima calamitate ac pernicie, averti poſſe.

At non ita hæc ille intelligit. Is enim opinor, aliquando audivit, Deum ſcelere atque turpitudine omni offendi. Eo quamquam clarum eſt, nihilo plus ſignificari, quam ſi bonum virum quemque,

que, atque honeſtatis amantem crimine offendi dicamus, ille neſcio ad quas privatas traxit injurias (*). Tunc igitur jure miratur, qua ratione omnipotentis Dei beata & tranquilla vita turbari a miſero homine poſſit. Non poteſt, fateor. Sed fingamus, poſſe, quo quidem nihil abſurdius; num propriæ injuriæ depoſcentem pœnas, diceremus juſtum? Non certe, ſi adcurate loqui velimus. Sed pergit, ſi juſtitia eſt perpetua voluntas, ſuum cuique tribuendi, quid eſt, quod a Deo poſcere aut omnino exſpectare homo poſſit? Veſtra enim toties nobis religio inculcat, quidquid homini a Deo tribuatur, non juris verum gratiæ eſſe, eumque tamquam rerum ſuarum Dominum, ſine injuria, humanum genus, pro libidine, miſeria omni & calamitate poſſe adfligere (†). At hæc non mea, non Chriſti, non ſani cujusquam hominis docet religio. Ea itaque, ne mentitum dicam, aut finxit ipſe, aut neſcio e quo Doctoris libro, atra bile perciti, deſumſit, e religionis certe fontibus hauſit minime. Ego num quid homini a Deo debeatur ignoro; illud autem certe ſcio, non Deum fore, ſi vel minimo hominem, ſine cauſa, malo affecerit: addo etiam illud; rem adeo abhorrentem a perfectiſſima natura, neque juſtam neque ullo modo bonam eſſe poſſe.

De clementia hæc fere habet. Si clementia, inquit, ea eſt, quæ aliquando pœnæ partem remit-

(*) V. p. 69.

(†) La Theologie nous répete ſans ceſſe, que Dieu ne nous doit rien; que les biens qu'il nous accorde, ſont des effets gratuits de ſa bonté, & que ſans bleſſer ſon équité, il peut diſpoſer, à ſon gré, des ouvrages de ſes mains, & même les plonger, s'il lui plaiſoit, dans l'abîme de la miſere. p. 70.

mittit, quam ſevero legum judicio poterat expoſcere, veſter Deus qui poterit clemens eſſe? Indigent fortaſſe iſto nonnumquam temperamento humanæ leges, quæ aliquando aut nimis ſunt ſeveræ, aut non omnibus caſibus, nec ſingulari delictorum rationi omni poſſunt accommodari. Nil opus iſtis divinis legibus, quarum non juſtiſſimus modo, verum & ſapientiſſimus auctor, quod certe non eſſet, ſi ejus leges ſeveriorem pœnam ulli delicto decernerent. Optime ſane. Illum autem, qui tanta æquitate leges conſtituit, qui tandem nominabimus? Is igitur, niſi clemens, ne ille quidem certe, qui pœnam humanis conſtitutam legibus remittit. Eandem enim æquitatis regulam uterque ſecuti, hic dum conderet leges, ille dum conditas nimia ſeveritate corrigeret. Nam qui exacta juris ſimilitudine temperatas leges pro libidine mutat, is certe clemens non eſt, verum injuſtus. At ſi clemens judex, non qui eorum gratiam facit, quæ legibus pœna ſanciuntur, verum is, qui pœnam non ſolum, ad delictorum naturam, ſed addelinquentium rationem ita accommodat, ne hominis culpam magnitudo pœnæ excedere videatur, ſumma profecto in illo clementia, qui, quæ leges & judicia humana non faciunt, nec facere omnino poſſunt, ab nemine, niſi ætate, ingenio, diſciplina, opinionibus, iisque omnibus, quæ nemo ſibi ipſe comparat, expenſis deductisque, pœnam expoſcit. Quare, ſeu juſtitiæ adverſam clementiam dixeris, illam non Dei eſſe fatebimur, quia ne virtus quidem, ſeu maxime eſt illa conjuncta juſtitiæ, merito illam Deo vindicamus, in quo cum ſumma juſtitia, tum æquitas maxima & moderatio eſt. Quanquam ne hic quidem, ſatis explicata re, de nominibus certabimus: neque certe indignabimur, ſi quis hanc aut boni-

tatem, aut æquitatem, quam clementiam vocare maluerit.

Cæterum humana hæc, etiamſi in Deo eſſe conceſſerit, non putat ullo modo conjungi cum reliquis poſſe. Quomodo enim Deum, carentem corpore, ea facturum, quæ fecit homo? Namque ſpiritum nil videre, non audire vel preces noſtras vel querelas: non tangi malorum noſtrorum magnitudine; quippe deſtitutum his miſericordiæ quaſi inſtrumentis. (*) Ohe jam ſatis eſt; parce, precor; non feret tantum ineptiarum pondus ſanum ullius hominis caput. Nam ſi mihi, Deum eſſe, negaveris, dolebo te aut errore lapſum aut contumacia, aberrare a vero: at ſi, cum Deum eſſe poſueris, non illum putas, ſine oculis, auribusve operi ſuo proſpicere poſſe; tunc vero mihi illius plane videris ſimillimus, qui geometrarum riſit ſtupiditatem, quod quantum ab his terris ſol diſtet, ſe dimenſuros ſperarent, quum profecto, nullis ſcalis, ne longiſſimis quidem, ſol ſcandi queat. An ego aſpernabor artificem, qui non poſſit ex horologii, quod ipſe fecerit, conſtructione conjicere, quid ſingulis horis ſit effecturum, quanto delapſurum intervallo, ut integrum reſtitui oporteat; Deum putabo, abſolutiſſimi operis ſapientiſſimum artificem, quale ſit illud, quod fecerit, ignorare? Quæ ſi miſellus aliquis e ſcripto-rum

(*) Ne quis, aut nos ludere putet, aut rem malitioſe verbis exaggerare, ipſa auctoris verba exſcribere viſum eſt. „ Si Dieu eſt un pur eſprit, comment pourroit il agir „ comme l'homme, qui eſt un être corporel? Un pur „ eſprit ne voit rien; il n'entend ni nos prieres ni nos „ cris: il ne peut s'attendrir ſur nos miſeres, étant dé- „ pourvu des organes, par le miniſtere deſquels les ſen- „ timents de la pitié peuvent s'exciter en nous. p. 87. "

rum plebe, nugarum patronus, defenderet, impenſe riderem hominis ſtoliditatem : ſed cum philoſophum, ſi Voltairio credimus, magnum, (*) hunc in modum audio loquentem, tunc, quid mihi animi fiat, prorſus ignoro. Ergo etiam mirabitur ventura ætas, ſi tamen ea poſteri legent, idem fere tempus, quod Leibnitios, quod Lockios, aliosque permagnos tulit philoſophos, etiam vidiſſe hominem, quem illud valde anxium haberet, quomodo Deus aut ſine oculis ea, quæ opus forent, proſpicere, aut preces noſtras audire ſine auribus poſſet.

Enimvero nihil abjectius philoſopho, præter ea, quæ vita hominum & communis uſus offert, nihil admittente. Quo enim jure ex humanæ naturæ ſimilitudine cætera omnia judicabimus? Si natura homini ſenſus dedit, eorum, quæ ſunt, aut fiunt, nuntios atque interpretes, non certe, quidquid habuit, omne largita eſſe putanda eſt. Cæci iſta oratio eſſet, qui, quatuor nonniſi res percipiendi modos eſſe, contenderet, quinto carens ipſe, eoque præſtantiſſimo, viſu. Quod enim negant, corporum ullam notionem, niſi per ſenſus, oriri, nec vim eſſe & contactum, niſi a corpore, id cum optime excogitatum eſſe putent, admodum imperite dicunt. Nam ſi ſcirent, omnem de corporibus & per ſenſus ortam notionem falſam quodammodo eſſe & effictam, non certe a nobis poſtularent, ut ea vindicaremus Deo, quæ errori propiora quam vero ſunt. Neque longa mora erit, ea ſic eſſe, cuivis non Metaphyſicorum plane rudi probare. Ratio enim ipſa & intentus cogitationi animus, non eſſe corpora illud, pro quo vulgo habentur, immo nulla, docebit.

Ni-

(*) V. Refutation du Syſteme de la nature &c.

Nihil in iſtis mirabile aut occultum: Et eumdem, ſi libeat, ſenſum, quo corpora nobis innoteſcunt, ſequamur. Idem igitur ille ſenſus, quo corpus omne continuum videtur & unum, corpora, docet, quæcunque mutari, diſſolvi, & partium ſeparatione prorſus intercidere. Ex quo patet, corporum vim omnem atque naturam poſitam eſſe in partium conjunctione & numero. Sed in quo partes inſunt, illud profecto unum non eſt, neque corpus igitur ullum unum. Quapropter & homines clarum eſt, falli, cum illud unum putant eſſe, quod plurimarum rerum numero ipſum continetur, & qui corporum aliquem ſenſum Deo tribuunt, humanæ infirmitatis errorem in perfectiſſimam naturam conferre, quod quidem perabſurdum eſt.

Quod autem unum illud videatur ſenſui, quod tamen corpus ſit conſtans partium numero, probatu haud erit difficile. Nam ſi quis rerum notionem evolvat, is videbit, unum illud vocari, quod ſuis quodammodo propriiſque finibus ſit circumſcriptum. At quorum contra ſingulorum ſinguli limites adparent, ea diverſa atque plura & haberi ſolent, & dici. Pari modo, quæ mutuo ita vinculo continentur, ut nullis videantur intervallis ſeparata eſſe, nullis invicem diſcreta finibus, ea continua dicuntur. E quibus intelligitur, continuum nihil videri, niſi idem ſimul unum videatur. Quare ſi corpus continuum adparet, ut certe adparet omne, unum ſimul videri neceſſe eſt.

Nihil attinet, in contrariam partem afferri, quod corporum eorumque partium tale ſit diſcrimen, ut non tantum ſecerni ab aliis aliæ, & a reliquo corpore ſingulæ poſſint diſtingui, verum & penitus ſeparatæ avulſæque a cæteris omnibus

cogi-

cogitari. Nam ut ea omnia taceamus, quæ nobis, ſi contra iſta dicere vellemus, facile ſe offerrent: illud nonniſi dicemus, his quamvis conceſſis, noſtra manere integra. Quales enim illas putamus corporum partes eſſe, quas ſenſu liceat alias diſcernere ab aliis? Sin corporum ipſæ ſimiles; & his ſuæ partes erunt, de quibus pariter, num & iſtæ ſub ſenſum cadant, libebit interrogare. Totiesque eadem requiremus, donec ad minimas quasdam particulas pervenerimus, in quibus neceſſe fuerit ſubſiſtere, ſiquidem corpus nullum partibus eſt infinitum. Illas vero, quibus tandem corpora conſtant, primas partes, ſenſu non poſſe diſcerni, quod neminem in eo habebimus adverſantem, haud opus erit probare. At quorum ſenſus non eſt, eorum certe nullum diſcrimen, quod ſenſu ſolum innoteſcit. Quo ſublato, quidquid percipitur ſenſu, unum videri & conſtans, aptumque ex ſeſe neceſſe eſt.

Verumtamen hæc aliter ſenſus tradunt, aliter ratio: aliter imperita hominum multitudo dijudicant; aliter philoſophi: quos omnium minime decet, fallaci corporum imagini, quam per nubem quaſi noctisque & luminis crepuſcula, adſpicimus, niſi rectæ rationis diſcrimine adhibito, habere fidem. Sed qui iſta quotidianis oculis intuemur, nec ratione ſed ſenſu omnia dijudicamus, quoniam iis rerum naturam non poſſumus diſcernere ſatis, haud mirum eſt ſæpiſſime labi. Ita quidem plebs & vulgus hominum imperitum, & in eo veniam habent inſcitiæ; ſed profecto ſapientiæ ſtudio intentos ita ſentire turpiſſimum. Habeant ergo ſibi, ſi ab iſto ſenſu, cui tantum tribuunt, deludantur. Quod certe aliquoties accidere neceſſe eſt. Ergo, ſi ſibi ipſi conſentiant, & baculum detentum flumine, qualis videtur, incurvum, prolatum ve-

vero rurſum evadere rectum, & quæ generis ejuſdem multa proferri ſolent, prout ſenſui objiciuntur, ita non videri modo, ſed ipſa re eſſe dicant, non unquam ſimilia ſibi aut conſtantia, ſed immutata quovis temporis momento: quid? quod nec immutata ſolum, ſed eadem ſimul neque tamen eadem, ſiquidem oculis aliter, atque aliter cæteris ſenſibus adparent? Ita fiet, ut nec ipſi inter ſe ſenſus conveniant, nec, ademta ratione, quis potior ſit habendus, dijudicare queamus. In tot igitur, tamque turpes errores incidere neceſſe eſt, qui ut primam ſpeciem arripuerunt, ita penitus illi ſe tradunt, atque ea omnia vera, & quæ contra, falſa & inania judicant.

Sed putant, ſe, neſcio quid præclari nactos, ii homines, cum negant, niſi per ſenſum corporum ullam imaginem exſiſtere, aut oriri motum, niſi ab eo, quod ſit corporatum, atque ideo nimirum, actum de Deo noſtro, clamant totis viribus. Ego vero ita exiſtimo, ex iis, quæ hactenus de corporum natura dicta a nobis ſunt, apparere: iſtum, ſi velimus, clamorem nos omnino abunde reddere poſſe. Hoc enim demum eſt nugas agere, ſi, ex hominis ratione, homo omnia judicet, ut, niſi quod ſui ſimile ſit, nihil exiſtimet eſſe. Quaſi in hanc naturam nec vitium ullum neque error caderet aut fallacia. O inſulſos homines, qui iſta tam inconſiderate effutiunt! Quos ipſos neceſſe eſt ignorare, quid ſibi velint. Nam cum in ea parte, quæ hominis nobiliſſima eſt, illius cum Deo aliquam agnoſcimus ſimilitudinem, hominem fieri, non Deum clamant, iterumque conclamant, ſurdum fore aut cæcum, ſi oculos atque aures ſuſtulerimus. Bene vero actum, niſi etiam pedibus ad ambulandum, vel ad ducendum ſpiritum latere opus eſſe dixerint. Dignam

nam Epicuri hortulis orationem (*)! Nihil opus, inquam, Deo, vel auribus, vel oculis, nec opus quidem auditu vel viſu, ſiquidem videre, hoc eſt, quodammodo falli. Neque igitur in Deo corporum ullus ſenſus eſt, velut in homine, confuſus, ſed eſt ſingularum rerum, quæ ſunt, vel fiunt, acerrimus, vel ſenſus, vel ſcientia. Nihiloque magis in illo manuum vel digitorum uſus, quibus negotiis ſuis fungatur. Non enim illius in corpora, velut corporis, contactus & impulſus: ſed quali modo ſimplicem animi naturam, in corpore hominis, vim ſuam exercere poſſe docuimus (†): ita ſi dixero, me intelligere, qua ratione iſta quodammodo univerſi mundi divina mens, ſumma virtute prædita, maximum hoc rerum omnium corpus, atque machinam illam aptam undique penitusque congruentem, vi ſua poſſit moderari, motusque omnes, & varias rerum formas, modo ne ſenſu iſtá ſed ratione judicemus, efficere, haud, opinor, rem adeo abſurdam dixero, nec cujus ſani capitis hominem piguerit. Neque vero hæc ita accipienda, quaſi illa cuiquam invito vellemus obtrudere; ſed ut appareat, nos habere, quæ illis reſpondeamus, qui Deo, propter diſſimilem naturam, nullam in corpora vim eſſe contendunt.

Satis igitur, ut putamus, adſerta, contra ineptiſſimi hominis petulantes impetus, Dei natura, nihil obſtare videtur, quo minus ſcribendo finem faciamus. De ſingulis enim adverſarii erroribus dicere, injucundum foret, & plerumque non neceſſarium. Reſtabat tamen adhuc illa pars, qua ſuam, de mundi origine, opinionem exponens, Dei, in

(*) Vid. Cic. de nat. D. I.
(†) Vid. quæ in ſuperiori libro de animorum ſimplici natura diximus.

in hac re, uſum nullum, ſolaque ſibi corpora ad progignendas rerum quascunque formas ſufficere contendit: niſi quod ea jam ab initio totius operis prolata, atque hic iterata denuo, ſuperiori libro refellere occupavimus.

Sunt tamen duo, quæ in animos legentium, ſi forte exciderint, revocare neceſſe ducimus. Primum hoc eſt: motum corporibus nec neceſſarium eſſe neque inhærentem, verum ex hoc mundi ordine rerumque continua ſerie oriri; ſiquidem aut pondere omne corpus ad commune quoddam κεν-τρον deprimitur, aut levitate ſublime fertur: quorum neutrum ſine iſta rerum connexione poteſt cogitari. Tum autem, etſi motum corporum ſequi naturam dederimus, minime tamen illum eſſe, quo iſta rerum varietas, apta principiorum omnium mixtura temperata, poſſe effici videatur. Nam cum omnino duo genera ſint motus, quorum ſimplex alterum eſt atque naturale corporibusque commune omnibus, alterum arte deſcriptum ac ratione, a varia corporum forma internaque ſtructura arceſſitum, fieri non potuit umquam, ut naturalis iſta ratio tantas rerum machinas excitaret. (*) Quod niſi per ſe ita clarum foret, velut eſt; vel ideo talem rem credi minime conveniret, quod nemo umquam, poſt hominum me- mo-

(*) Nec vero Ariſtoteles non laudandus in eo, quod omnia, quæ moventur, aut natura moveri cenſuit, aut vi, aut voluntate: moveri autem ſolem & lunam, & ſidera omnia. Quæ autem natura moverentur, hæc aut pondere deorſum, aut levitate in ſublime ferri: quorum neutrum aſtris contingeret, propterea quod eorum motus in orbem circumferretur. Nec vero dici poteſt, vi quadam majore fieri, ut contra naturam aſtra moveantur. Quæ enim poteſt major eſſe? Cic. de nat. Deor. II.

moriam, factum eſſe vidit, ut iſta naturæ corporumque vi aut motu, nec ex ſemine, ulla planta vel arbos, nec ab homine, homo, aut denique animans ullum, non ex ſuo genere naſceretur.

Sed clamat homo noſter, nos, cum corpora dicamus, obſtinato animo mortuam inertemque molem intelligere, deſtitutam vi atque vigore omni; quod tamen eſſe longe aliter, paulo ad rerum naturam adtendenti apparere neceſſe ſit. Nam quæcunque in mundo eveniunt, ea accidere ita, ut corporum ſtructura internaque ratio ferat. Igitur hoc eſſe in natura rerum, ut, cum maris ſemen, cum fœminæ fœtu coaluerit, ſimilis efficiatur proles parentum: eſſe item hoc in natura plantarum, ut illarum ſemina defoſſa humo, & nutrita humore, ſenſim pullulare incipiant, donec vel ad herbæ maturitatem, vel ad arboris proceritatem evaſerint, & quæ ſunt ejus generis permulta alia (*). Quaſi vero negaremus, quæcunque in mundo fiunt, earum rerum, per quæ aut in quibus fiunt, naturam ſequi. Nos certe non ſumus ii, qui ſublata velimus ea, ſine quibus naturæ ſcientia nulla foret. Illud autem quærimus, unde hæc variorum corporum diverſa natura fuerit orta? Ita cum nemo ignoret, eſſe hoc in natura horologii ut rotularum juncturis, orbiumque ambitu, vel pondere, vel alio modo affecto, temporum ſignificet intervalla; tamen, quia nemo umquam horologium vidit, corporum naturali pondere effectum, non ineptum ſit, in operis artificem inquirere. Eodem modo nos, qui non ignoramus, in eo, qui nunc eſt, rerum ordine, naſci ex aliis alia & poſſe & debere, haud ſtulte videmur facturi, quærentes, unde orta ſint pri-

(*) V. pag. 190.

primum illa, quibus deinceps cætera omnia originem debuere. Quæ ſi modo orta ſint, Deum aliquem auctorem habere atque effectorem, ſatis docuimus. Quod qui fateri nolit, neceſſe eſt, rerum ſeriem dicat per omnem æternitatem ita fuiſſe continuatam, ut ſemper aliud naſceretur ex alio, nec prima ulla cauſa fuerit; ad quam ſolam cætera omnia ſuam originem referrent. Quæ res quot & quantis urgeatur incommodis, pluribus, ſi velimus, docere, in promtu eſſet. Hoc unum quærimus; num iſta ſempiterna ſeries, variæque, quæ ſub uno rerum omnium genere continentur, formæ, potuiſſent aliæ eſſe, atque ſunt, aut fuerunt. Si non potuerunt, neceſſariæ ſunt, ideoque immutabiles. Sed videmus, eas quotidie fere immutari, aut tempore ipſo diſſolvi, aut denique ab aliis rebus deſtrui ſingulas. Non ſunt ergo immutabiles, adeoque minime neceſſariæ. At ſi potuere, quæro, cur humanum genus hominum fuerit, nec pecudum aut ſilvarum; itemque boum aut arborum cur tale, nec aut equorum alterum, alterum vel plantarum, vel lapidum. Nam qui prima modo philoſophiæ elementa retinuit, is non poteſt ignorare, quorum multa æque fieri poſſunt, eorum nullum futurum, niſi interveniente quadam cauſa, atque una ratio cæteris potior eſſet, efficiente. Eam igitur cauſam aut in iis rebus ipſis, de quarum forma ac ratione quæritur, aut in alia quadam natura oportet ineſſe. Poſterius ſi verum eſt; habemus, quem quærimus, auctorem mundi, quando in corporum naturam hoc minime cadere docuimus. Sed puto, non arceſſendam hujus rei cauſam aliunde. Nam ex homine niſi hominem naſci poſſe, nec ex cæteris rebus oriri, niſi quæ ſuæ formæ con-

veniant, ipſa natura patet. Quaſi vero hoc eſſet reſpondere ad noſtra. Haud enim quæſivimus, quid ex quovis genere oporteat naſci, verum illud ſcire volebamus, cur ſingula rerum genera atque formæ ſint tales, quales videmus eſſe. Datum enim hoc eſt, potuiſſe alias eſſe, & datum temere, ſi hoc ſignificabat. Qui enim aliæ eſſe poterant, cum quamcumque prolem matrem ſequi neceſſe erat, nec ulli mater non eſſet? Ita quocumque rem verteris, nil niſi nugæ, nec, quidquid tetigeris, niſi ulcus.

Atque de his quidem ſatis. Nunc vero ſingulos, quos notavimus, hujus libri errores recenſentes, haud parva nos ſentimus perfundi voluptate, quod nos exiſtimamus habere, cur religionis cauſa gaudeamus, ſi numquam magis metuendos hoſtes fuerit nacta.

O tu, quo te nomine appellem, impiorum maxima voluptas, bonorum autem, ſi tamen Deo placuiſſet, terror atque metus: dicamne tibi, quid de te tuoque libro exiſtimem? Difficilem, crede mihi, & imparem viribus tuis, cauſam tuendam ſuſcepiſti. Inutilem atque ingratiſſimam locaſti operam, in compilando libro, ſi volumen ſpectes, maximo, ſi ingenium mediocri, ſin utilitatem, peſſimo. Crediditne, inepte, quæ veterum ſomnia, centies tuis dicta melius, partim deriſa fuere, partim tradita oblivioni, ea abs te recocta, cui paulum cor ſapiat, ullum hominem permotura? Nam quæ ex tuo ingeniolo addidiſti, perpauca ſane, ea ejusmodi ſunt, ut a quovis, impudentia tui ſimili, potuiſſent proficiſci, nec quemquam terreant, niſi cui vana convicia, nullo ſuffulta rationum pondere, res admodum metuenda videantur. Equidem exiſtimo, ſi hoc adhuc lumine fruerentur, aut qui

Per-

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat,

aut qui Epicuri Deorum non corpus, ſed quaſi corpus, nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem, miro ſale perſtrinxerat, hunc nugarum artificem, illum cæterorum hominum ſtultitiam aliquando miſſuros, quod in te uno ſatis ſuperque haberent, quod per totum riderent annum. Quod ſi hæc tanta tua voluptas erat, ut quidquid hominum vel ſtudium vel religio pro vero & ſancto haberet coleretque, impugnares, alia tibi inſiſtenda via, alia ineunda ratio fuit. Dolis, inſidiis, machinis omnibus dimicandum; quidquid tangi non ſatis tutum judicares, id vel integrum relinquendum, vel ſaltem per ambages adoriendum, nec, quod feciſti, committendum fuit, ut palam tuæ miſeriæ omnibus conſpicuæ fierent. Nunc autem effeciſti tua impudentia, quod certe ſpero atque confido futurum, ut etiam malos tantis tuis ineptiis aſſentiri pudeat, cum viderint, nonniſi ſtultiſſimum quemque iis moveri.

Verum quid ago, aut cur ego miſero homini lapſo fortaſſe propter errorem, tantopere iraſcar? Sit illa, huic populo maxime communis & quaſi inſita, animi levitas: at ſcelus, at perverſum male agendi ſtudium, at conſulto ſuſceptum erroris patrocinium, ne dicam, & ſi quando tale quidpiam imprudenti exciderit, jam pœnitet, jam dixiſſe nollem. Video nempe iſtorum errorum originem & incunabula; neque temere prorſus, aut ſine ulla recti ſpecie, religionis tantum quorumdam odium extitit. Vos mihi, ſi quiſquam, vituperandi eſtis, quibus non rubor eſt, ſanctiſſima quæque temerare, veſtraque commenta, veſtras

 fa-

fabulas, pro Dei pura & caſta religione hominibus venditare. Quot mala vos illi intuliſtis, tot nullus hoſtis, tot non impiorum omnis coorta turba, vel inſidiis & occultis artibus, vel aperta vi umquam inferent. An miramini multos eſſe, quibus veſtra religio diſpliceat? Facile, ſi quaeritis, rationem omnem vobis expediam. Nec mihi profecto placet, quamvis Dei Numen lubens ac ſine ſpecie fictae ſimulationis vereor, &, ne erretis, cum veram & humana faece carentem religionem, contra quorumdam petulantes impetus adſererem, non ineptiarum veſtrarum patrocinium a me ſuſceptum eſt. Abeant iſta, per me licebit, quo errores & opinionum commenta omnia tandem abire neceſſe eſt, quando non ulla capitalior peſtis, nec hominum generi magis noxifera alia labes, ſuperſtitione poteſt reperiri. At vos, ne miremini, unde nonnullorum iſta contra pulcherrimam atque unam omnium maxime ſalutarem diſciplinam, & loquendi & ſcribendi intemperantia naſcatur. Nimirum veſtra haec culpa, veſtrum illud opus eſt. Sunt enim maxima pars hominum ita natura facti, ut raro, quid optimum ac medium ſit, remotum aeque a ſuperſtitione, atque a diſſoluta impietate, perſpiciant: omnia, extremis nonniſi rerum finibus, diſcernentes. Tales igitur cum videant veſtram religionem tot nugis ſcatere, nullam omnino eſſe, ſed haec omnia ab hominibus primum inventa putant & efficta, atque hinc ſcilicet tanti, adverſus religionem omnem, clamores oriuntur. Neque profecto mirum. Nam quoad non deſinetis, religionis ac rationis arctiſſimum foedus diſrumpere; quoad pergetis, hominum abſurdiſſima commenta & opiniones, ut, neſcio quae re-

con-

condita arcana, remota a profanis plerorumque oculis jactare, eaque in libris ſacris videre, quæ nusquam ſunt, cordatum neminem unquam inveneritis, quem non ſacrorum veſtrorum pudeat. Quid porro memorem bella, cædes, rapinas, vaſtationes, vincula, quæſtiones, exquiſitos cruciatus, flammas, olim parata iis, qui aliter ſentirent, aut nunc jam, odia, iras, diffidia, contumelias, proſcriptiones, cæteraque incommoda, quæ, qui optimis aut ſtudio aut conſilio & facultate, religioni priſtinum ſuum decus & ſplendorem reſtituere conantur, effugere vix umquam poſſunt? Quæ ſi omnia noſtra religio in hoſtibus ſuis fieri præciperet, aut omnino pateretur, atrociſſima omnium diſciplina ac optimi cujusvis odio digniſſima recte haberetur. O, qui hoc agitis, ut quidquid temporum immanitas hominumque barbaries ſordium religioni adfinxit, illud abſtergatis, *Erneſti*, *Semleri*, *Spaldingii*, *Eberhardi*, *Telleri*, & quantum eſt, vel in noſtra Germania, vel apud exteros, magnorum virorum; ſiccine vos a plerisque accipi, talemne vobis, pro veſtris tantis tamque præclaris laboribus gratiam referri! Nempe eſt hæc plurimorum hominum cœcitas ac perverſe judicandi conſuetudo, ut quidquid novarum rerum inducatur, non ſine veri aliquo periculo aut jactura fieri exiſtiment; perinde ac ſi tempore inveterata & aliquot mille hominum ſuffragiis ſuſtentata opinio, falſa eſſe omnino non poſſet. At vos pergite, ut facitis, iſtas imperitæ plebeculæ voces, & iracundorum ſacrificulorum minas magno animo contemnere. Non deſunt, credite mihi, nec derunt umquam, quibus, quam in expurganda religione conſumſiſtis, & pulcherrima ſemper & pul-

pulcherrime locata opera videatur: & ſi, quod magnum atque præclarum opus, fauſtiſſimo omine inchoaſtis, abſolvere, per temporum noſtrorum iniquitatem, non licuerit; illa tamen, & apud poſteros, vos gloria perennis nec umquam interitura comitabitur, ut prima ſanioris cultus fundamenta poſuiſſe, dicamini.

AØ1 1453595

Digitized by Google

23
9
51

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIB
V
X